









1735.

1. Lengnich, Gasparus: De Palmarum conforratio[n]ibus.
2. Willenborg, Samuel Fredericus: Tractatione ad Iurias electio[n]es.

nugines.

1737.

1. Willenborg, Samuel Fredericus: De accessibus et paucis  
derisoribus. 2 Sept 1737 et 1740

1740

1. Kalmus, Th. Adams: De regulatione medicorum

1752.

1. Krausius, Georgius Fredericus: De causa leviora pauciora inter-  
prolatione
2. Krausius, Georgius Fredericus: 1. officio judicis, in obser-  
vanda legis ritu dativa.

1757.

1. Pauli, Martinus Gottlieb: De medicis evanescar verita-  
tis in processu.

1758

1. Pauli, Martinus Gottlieb: De legitimatione per rescripta principis

1759.

1. Pauli, Martini Galliib : Utram iis, qui sub tubula visunt,  
hodie sicut vint ex aliis iuris homines?

1758.

1. Pauli, Martini Galliib : I. incongrua praei doctrinae  
iuris Romani de restitutione integrorum in capite metus  
et dolii. 2. Gruppi.

1761.

1. Pauli, Martini Galliib : De jure representationis ejusque  
in Germania origine et progressu.

1762

1. Pauli, Martini Galliib : De executoribus ultimorum volunt  
latum.

1763.

1. Pauli, Martini Galliib : De legi commissoria

1765

1. Gralib, Tardel : De jure calmcurs in doctrina de contractu.  
bus ex legibus Romani clementato

1768

1. Grataly, Dard : De officiis laeti circa iuris observan.  
dis

1771.

1. Grataly, Dard : De causis post manum mortuum  
[Von Sader nach Todter Hand].

1772.

1. Grataly, Dard : De solemnis labibus testamentorum ecclesias-

mis

1780.

1. Grataly, Dard : De privilegiis peregrinorum foreni, quae  
Germannus de Gustrecht vocatur.

1784.

1. Grataly, Dard : De commodeis et juriis, que ex his  
et conditio civitatum maritimorum naturalis, et  
commercia in iisden exercenda iustalgent.

2. Schauries, Carolus Gottlieb : De fine iuris ando.

1851  
nach dem ersten und zweiten Schlag  
wurde die Mutter wieder auf den Beinen.  
Die 1. Stunde war ein großer Erfolg.

1851  
der zweite und dritte Schlag waren wieder  
eine Mutter wieder auf den Beinen.  
jedesmal wenn sie aufstand schrie sie und at  
Luftröhre.

1851  
der zweite und dritte Schlag waren wieder  
eine Mutter wieder auf den Beinen.  
jedesmal wenn sie aufstand schrie sie und at  
Luftröhre.

1851  
der zweite und dritte Schlag waren wieder  
eine Mutter wieder auf den Beinen.  
jedesmal wenn sie aufstand schrie sie und at  
Luftröhre.

1851  
eine Frau erkrankte an Lungenentzündung  
die Mutter war sehr schwach und starb.  
1851  
eine Frau erkrankte an Lungenentzündung  
die Mutter war sehr schwach und starb.  
1851  
eine Frau erkrankte an Lungenentzündung  
die Mutter war sehr schwach und starb.  
1851  
eine Frau erkrankte an Lungenentzündung  
die Mutter war sehr schwach und starb.





17. A1  
DISSERTATIO SECVLARIS JVRIDICA,  
DE  
INCONGRVA PRAXI DOCTRINAE JV-  
RIS ROMANI DE RESTITVTIONE  
IN INTEGRVM EX CAPITE 1758, 1<sup>a</sup>  
METVS ET DOLI.

P R A E S I D E  
MARTINO GOTTLIEB PAVLI  
JVR. VTR. D. JVR. ET HISTOR. PROF. PVBL. ORD.  
ET ATHEN. INSPECT.  
DIE XX. JVN. A. R. S. clo Io cc lVIII.  
IN AVDTORIO MAXIMO

A D

DISPVTA NDVM PROPOSITA

A B

AVCTORE

JOACHIMO GVILIELMO WEICKHMANN,  
DANTISCO - BORVSS.



GEDANI.

TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBER, MAGNIF. SENATVS  
ET GYMNASII TYPOGRAPHI.

DISSERTATIO  
INCLVTAE  
REIPVBLCAE GEDANENSIS  
SENATVI  
ILLVSTRI ATQVE MAGNIFICO,  
BVRGGRABIO REGIO,  
P R A E S I D I  
AC  
PROTOSCHOLARCHE,  
VICE - P R A E S I D I,  
CAETERISQVE  
EJVS MEMBRIS  
GENEROSIS, MAXIMEQVE STRENVIS,  
PATRIBVS PATRIAЕ  
CVRIS SVIS ET MERITIS IN OMNEM NOSTRAM  
ET PVBLICAM REM ET SCHOLASTICAM  
IMMORTALEM CONSECVTIS NOMINIS FAMAM,

VT

DISSEMINATIONEM  
QUATVOR VIRIS PRAESTANTISSIMIS,  
PLVRIMVM REVERENDO, MAGNIFICO, EXPERIEN-  
TISSIMO, SVMMVM VENERABILI,  
AMPLISSIMIS, DOCTISSIMIS,  
**CAROLO FRIDERICO**  
**WEICKHMANN,**  
A. M. ET VERBI DIVINI MINISTRO,  
**GOTTLIEB GABRIELI**  
**WEICKHMANN,**  
CIVITATIS PRIMARIAE CONSULI,  
PATRVIS SVIS DEMISSO ANIMI  
CVLTV AMPLECTENDIS,  
**JOANNI LEONHARDO**  
**WEICKHMANN,**  
PHILOS. ET MEDIC. DOCTORI,  
PARENTI INDVLGENTISSIMO,  
**JOACHIMO SAMVELI**  
**WEICKHMANN,**  
WITEBERGENSIVM THEOLOGO AC PROFESSORI,  
PATRVO DESIDERATISSIMO,

DIS-



DISSERTATIONEM  
HANC JVRIDICAM SECVLAREM,  
DEVOTISSIMAE REVERENTIAE  
AC PIETATIS DEVINCTISSIMAE  
MONVMMENTVM  
VOTIS CASTISSIMIS PRO  
EORVM SALVTE ET PROSPERITATE DIVTVRNA  
ET PERPETVA  
NVNCVPATIS  
D. B. D.  
ILLVSTRIVM HORVM AC CARISSIMORVM NOMINVM  
SUBJECTISSIMVS OBSEQUENTISSIMVSQUE  
JOACHIMVS GVILIELMVS WEICKHMANN,



# DISSERTATIO SECVLARIS

DE

INCONGRVA PRAXI DOCTRINAE JVRIS ROMANI

DE RESTITVTIONE IN INTEGRVM EX

CAPITE METVS ET DOLI.

## PRAEFATIO.

**A**rdent vicina nobis regiones, ardet Europa, ardet universus pene quaqua patet terrarum orbis bello inter di-  
ra bella sane cruentissimo, nec relinquitur facile pro-  
vincia sive neutri addicta parti, sive suo principi belli-  
geranti fidelis, intacta ab incursionibus & vexationibus molestis  
ac hostilibus. Jam alter fere exactus est annus, ex quo cœpere  
milites ad prælia duci, fax belli tristis prælucere, audiri tuba bel-  
lica, omnia tumultibus & concitatis in perniciem studiis vocibus  
que resonare, urbes obsidionibus cingi, toti exercitus cladibus  
frangi, homines adversus homines, Germani contra Germanos,  
Christiani denique adversus Christianos excandescere, arma sume-  
re, alter alterum cognato jugulare gladio; annus, proh dolor!

A

jam



jam alter, ex quo cœpit hæc strages hominum & civium, tanta  
 cædes ducum clarissimorum, hæc devastatio provinciarum & in-  
 tegrorum regnorum, hæc miseranda regionum alieno imperio  
 contra propensionem subiectarum facies, hæc rerum ad suble-  
 vandas vitæ necessities appetendarum caritas, hæc incolarum  
 præstationibus continua exhaustorum miseria, iste denique deso-  
 latus Academiarum status orbitatis. Et nos quidem inter medios  
 hosce belli strepitus & furores sumus adhuc iudicem, quales esse  
 nos voluit summus rerum humanarum Arbiter sub initium alteræ  
 partis præsentis seculi. Nostra, inquam, Gedanensis respublica  
 omnium horum malorum expers, confitit ad hunc usque diem  
 per ineffabilem supremi Numinis misericordiam, libera ab incur-  
 sionibus hostilibus, finibus integris & tranquillitate fere inconcus-  
 sa. Adhuc enim salutis & jurium nostrorum securi quasi in spe-  
 cula constituti undique quaqueversum videmus funestissimi belli  
 calamitates hominibus necem, civibus patrimonii jaeturam, agris  
 devastationem, civitatibus excidium minari; nos autem DEO ca-  
 nemus nostra jubila, secularia jubila, & quidem hæc, uti in DEO  
 spes est nostra, canemus in pace. Hæc vero festa jubilaria, hæc  
 otia, quæ DEus reipublicæ nostræ conservator nobis fecit, quam  
 proxime attingunt Musarum sacra & Apollinis cultores. Quis enim  
 est, qui ignoret, hoc anno a nobis secularem memoriam inaugu-  
 rationis publicæ Gymnasii nostri ad recitationes & operas docto-  
 rum hominum academicas pie recoli? Est autem hæc lætitia non  
 folius & parum numerosæ eruditorum nostrorum turbæ, sunt poti-  
 us publica & communia hæc gaudia, nec vanum est & temerarium,  
 spem bonam certamque domum reportare, hæc urbem sentire  
 meam universam, omnesque cives & incolas patriorum mœnium  
 pari nobiscum hæc festa salutare & hilaritate animi & affectu vo-  
 tivo, quorum originem & historiolam non quasi per indicem, sed  
 verbulo tantum, non tam indicare, quam attingere lubet. Gym-  
 nasiū Gedanense, cuius celebramus jubilæum secundum, anno  
 æræ, quæ a Christi nativitate dicitur, 1431 conditum & exstruc-  
 tum a monachis, qui normam S. Francisci sequuntur, sub forma  
 & nomine cœnobii Franciscani; postea ex traditione Job. Rollavii,  
 Fratrum

\* \* \*

3

Fratrum minorum terrarum Prussiæ Custodis in ditionem Senatus nostri cum omnibus juribus d. 30. Sept. anni 1555. transiit, mox insigni Magnifici Senatus cura maxime reformatum tandem per primam recitationem publicam fausto die 13. Junii mensis, anno 1558. usui publico & institutionibus juvenum dicatum, consecratum & initiatum est. (\*) Nos vero, qui his diebus festivitates has bis seculares adelamationibus nostris repetimus, devota pietate veneramur memoriam multorum annorum decursu nondum obfuscatam illustrium quondam inter patres reipublicæ conscriptos luminum & familiarum florentissimarum splendore & gloria propriae magnitudine beatorum, magni *Gabrielis a Bæmeln*, & memoria immortali digni *Joannis Godofredi a Dieffeldorff* in literas studio & maxime paterna Gymnasii nostri cura ac inspectione conspicuorum; veneramur merita trium clarissimorum reipublicæ siderum, qui postremam hanc augustamque hujus Musarum sedis mutationem partim adornarunt, partim publica & solemni recordatione recolendæ fuerunt autores. Nominamus hoc respectu, & non sine reverentia nominamus illustrem *Constantinum Ferberum*, antecessorem Protoscholarcharum novo in Gymnasio Gedanensi, cuius ardor in condendo artibus liberalibus hac in urbe scario, ac maturanda ejus inauguratione solemini eminuit summus; magnum *Adrianum a Linda*, sub cuius auspiciis primum celebratum fuit Gymnasii hujus jubilæum; & quem nuper amissimus, magnum illum & inter patriæ patres Musarumque patronos nunquam obliviscendum *Joannem Wahlum*. Fuit quidem paterno & benigno & provido in nos nostrosque docentium & dissentium choros animo affectus; nuncupavit sine dubio christianus senex pia vota pro salute hujus, quod patrocinio suo beavit, Athenæi quam diutissima & felici celebratione redeuntis inaugurationis ejusdem diei, nec etiam defuit commendandis & procurandis in futurum

## A 2

\* Pleniorum factorum hujus Athenæi nostri expositionem qui desiderat, ablegandus est ad meritissimi Reinh. Curicke Beschreibung der Stadt Danzig, B. 4. C. 7. S. 333. & C. 9. S. 340. 341. & ad Christ. Hartknobs Preußische Kirchen-Historie, B. 2. C. 1. §. 10. 13. S. 676. 679. 680. Compendiarium eorum facit notitiam Ephr. Prætorius in Athenis Gedanensibus. p. 1. 2. 3.



rum hujus festo solemnibus; sed precatus solum est hæc tanquam  
 abituriens, ipse non vidit festa hæc lætissima: placide enim obiit  
 anni superioris die eodem, qui jam publicæ hujus festivitatis prin-  
 cipium est & causa, die nimirum 13. mensis Junii. Quantus au-  
 tem accessisset huic nostræ lætitiae cumulus, si placuissest divinæ  
 providentia hunc nostrum Protoscholarcham & annorum numero  
 & longævitate munieris venerabilem his nostris intereste posse fe-  
 stis, o ter quaterque sanctiora adhuc nobis fuissent hæc nostra ju-  
 bila, o ---- quid non fecisset pro eo pietas votiva? Sed quid  
 prosunt humana mortalium vota, num desideria vel piissima im-  
 mutabilia voluntatis divinæ decreta tollere, saltem retardare va-  
 luerunt unquam? Nihil nobis relictum est integrum, nisi demis-  
 sa gratiarum actione venerari cœlestem scientiarum reique schola-  
 sticæ præsidem, nec non providam Patrum Conscriptorum desig-  
 nationem, quorum beneficio hoc nobis obtigit felicitatis, ut  
 amissa fausto omni redintegrata & redditæ nobis videamus in illu-  
 stri, Permagnificoque Protoscholarcha nostro, & Præconsule Se-  
 niore, Dn. CHRISTIANO GABRIELE DE SCHROEDER, cujus protec-  
 tioni, curæ & instaurationi omnes hos actus festivos pro suo, quo  
 in literas fertur, amore, debemus habemusque acceptos; nihil  
 nobis jam prius, nihil antiquius sit, nisi ex intimo cordis affectu  
 suspiria devotissima sublata voce ad DEum mittere pro felici &  
 tranquillo festorum horum decursu, pro incolumentate urbis &  
 Gymnasii, pro salute denique eorum, qui hos actus festivos pro-  
 curare non dedignati sunt. Accedamus itaque proprius ad id, cu-  
 jus causa hæc scripsimus tanquam prenoscenda, postquam bre-  
 vissime pietati fecerimus, quod fatis. DEus Ter Optimus Terque  
 Maximus patriæ ac Athenæo nostro tam benignissime in posterum  
 consulat, ut diu, feliciter, tranquille vivant ii, quos ad gubernacula  
 reipublicæ admovit. Servet DEus Senatum Magnificum, ser-  
 vet gravissimos amplissimi Collegii Scholarchalis affectores, servet  
 in primis, ornet, corroboret illustrem ejus Præsidem, nutritorem  
 & defensorem nostrum. Feliciter & in sui gloriam decurrant hi  
 dies festivi, publicæ lætitiae mutuisque congratulationibus sacri, ut  
 ne audiatur in illis alia vox, quam pietatis, grati animi & preca-  
 tionum.

tionum. Habeat sibi commendatam Numen Omnipotens, ardentissima supplicatione commendatam universam rempublicam nostram, protegat, defendat eam a quovis casu fatali, ipse Deus præsit commercio & regimini nostro, ac Gedanum ut per futura secula floreat ac juribus suis & privilegiis imminutum, grata DEO civitas, conservetur, faxit divina gratia. Tandem haec nostra delectio, hoc Gymnasium, quotidie nova capiant incrementa per famam & labores Professorum inclytissimorum, & per industriam perque probatos civium suorum mores. Aequali in eodem successu excolantur & ediscantur scientiae gravissimæ & literæ elegantiæ, ut in hac ingenuarum artium officina præparentur viri ad ornandam administrandamque rempublicam in quovis scientiarum genere & officia debita patriæ exhibenda idonei. Ita fiet, ut inde ab hoc altero Gymnafii patrii jubilæo & universa civitas & Athenæum hoc nostrum pari passu ad supremum excelsum, gloriae & felicitatis ascendant fastigium. Sunt haec vota omnium bonorum, peculiariter autem preces eorum, qui ex ordine Jurisperitorum & studiosorum pro officio suo haec secularia festa hisce paginis voluerunt condecorare.

§. I.

*Instituti ratio.*

**E**xpoſuimus augustam occasionem, qua inducti sumus ad consignandas hasce paginas atque exigua commentary e Jurisprudentiæ penitus desumpta vires nostras qualescunque experiri. Enarrabimus autem per indicem generalem id, quod propositum nobis est pertractare & disquirere. Nimirum placuit scribendæ dissertationi eligere thema aliquod, quod non prorsus remotum esset a vita civili & usu forensi. Atque tanto studiosius respeximus ad doctrinam talem, quanto frequentiores querelæ, adolescentes in scholis JCtorum fere nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audire, aut videre. Id itaque ne fieret, ne objurgatione ista digni existimemur, de incongrua praxi doctrinæ juris Romanî de Restitutione in integrum ex capite metus & doli differere apud animum nostrum constituimus. E quo jam prono fuit alveo,

A 3

hanc



hanc nostram exercitationem duabus potissimum absolvit sectionibus. Priori enim capite, ut naturalis præcipit rei ordo, trademus sanctiones juris Romani circa has duas species restitutionis in integrum, præstructis quibusdam quæ ad intelligendam de restituione in integrum doctrinam univerfam necessaria erunt, præcongnitis. Caput autem posterior ob oculos ponet modum, quo in foris nostris non tam solet adhiberi hæc restitutio in integrum, quam debebat, & ostendet simul, immerito nos hodie sequi præcepta illius juris peregrini. Inveniemus originem & causam hujus perversi juris Romani usus in amore nimio morum peregrinorum, qui nostrates, uti in aliis rebus, quibus ad vitam commode vivendum indigemus, ad res peregrinas & exteræ originis, alienique soli fert, ita speciatim in questionibus, quæ ad disceptationes fori pertinent, ad jura peregrina & aliunde accersita, ad Romanorum placita amplectenda & in usus suos convertenda impellit. Sed hæc deinceps.

## §. II.

### *Definitio restitutio*nis in integrum.**

**Q**ui communiter ab hominibus doctis in tradendis scientiis adhiberi solet, ne ignoremus, quid sit illud, de quo agendum est, ut statim subjiciant hujus subiecti definitionem, eum nos pariter hoc loco sequimur naturalem quam maxime cogitatorum ordinem. Vix autem opus est dici, quod liquet ultro, istam in integrum restitutio*nem*, de qua nobis est sermo, omnem suam originemducere ex juris Romani decretis. Quæ cum ita sint, ex eodem etiam fonte petenda est ista, quam querimus, definitio. Atque tantum abest, ut hac ex parte raceat Jus Romanum, ut potius duplicem deprehendamus apud istius Juris au<sup>t</sup>ores restitutio*nem* in integrum finitionem. Valerianus & Gallienus A. A. 1) eam dicunt esse redintegrationem amissæ causæ; Julius Paulus vero ait 2): restitutio*n* in integrum est redintegranda*r*ei vel causæ actio.

1) l. 2. C. in quib. caus. in int. restitut. apud Schultingum in *Jurisprudentia necessar.* non est. Ante Justinianea, pag. 233.

2) Recept. Sentent. Lib. I. Tit. VII. §. 1.

actio. Non est, quod alterutram hanc definitionem alteri anteponamus, cum ambæ egregie comparatae sint ad declarandam hujus remedii in genere spectati naturam. Id unicum inter utramque intercedit discrimen, Julianum paulum plenus eloqui restitutio-  
 nis in integrum notionem, quam quidem Valerianus & Gallienus  
 A. A. Ait autem JCetus: Integri restitutio, (sic enim passim apud veteres vocatur, nec liquet, an ab ipsis Juris auctoribus, an potius ab Aniano 3)), integri itaque restitutio est *actio*, atque verbum hoc generaliter h. l. accipitur pro quovis juris remedio, quod quis vel intendit, vel quod a magistratu conceditur, ut alias passim 4), id quod utique attendendum, ne quis Julianum Paulum fibimet ipsis contradixisse existimat. Nam alio in loco 5) *Ex hoc Edicto*, inquit, nulla propria *actio* vel *cautio* proficiuntur, totum enim hoc pendet ex Praetoria cognitione. Pergit JCetus: redin-  
 tegranda rei vel causæ. Isidorus 6) rem distinguit a causa, at-  
 que illam vocat, quæ promissa & tradita est, hanc autem, quæ  
 promissa tantum, non etiam tradita; & sunt 7), qui Julianum  
 Paulum eodem modo rem & causam a se invicem distinxisse exi-  
 stimant, sed hoc discrimen non est in Jure nostro, ubi sive res sit  
 imperfecta & versetur intra terminos solius promissionis, sive et-  
 iam ipsa res sit ablata & extorta & in aliud translatæ, utraque ta-  
 men in specie res dicitur restitui, sive redintegrari 8). Vix ita-  
 que ullum inter causam & rem supereesse discrimen, atque utrum-  
 que vocabulum, pro more apud veteres satis frequenti ideo con-  
 junxit videtur Paulus, ut unum per alterum explicetur. Redin-  
 tegrare autem idem est, ac instaurare, in pristinum statum redu-  
 cere, ut itaque per hanc restitucionem in integrum jura quævis,  
 res item & causæ amissæ recuperentur, omniaque in pristinum  
 statum utrinque reducantur.

### §. III.

- 3) Vid. *Antr. Schulting* loc. cit. in nota 1. ad textum Juli Pauli.  
 4) I. 37. pr. D. de Oblig. & Action. I. 178. §. 2. D. de Verb. Sign.  
 5) I. 24. §. ult. D. de Minorib.

6) Originum lib. 5. cap. 25.

7) *Gerardus Nocht* in commentar. ad Pandectas, ad Lib. IV. Tit. I.

8) I. 9. §. 3. D. quod meritis caus. gest. addit. *Schultingum* l. c. not. 3.

## §. III.

*Inquiritur in originem & fundamentum  
restitutionis in integrum.*

Cognitum itaque est, quid sit restitutio in integrum. Nunc videamus, unde ea natales sumserit suas, quonam nitatur fundamento & quæ sint causæ illius. Hæc autem omnia in compendio quasi exhibuit Domitius Vlpianus, 1), quando ait: *Utilitas hujus tituli non eget commendatione: ipse enim se ostendit. Nam sub hoc titulo plurifariam Prætor vel lapsis, vel circumscriptis subvenit, sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia incederunt in captionem.* His itaque verbis nos docet Vlpianus, restitutions in integrum a Prætoribus esse adinventas, adeoque eas descendere e Jure Honorario, propter utilitatem publicam Juris civilis adjuvandi, supplendi, corrigendique gratia introdueto. Nam in summa simplicitate legum antiquissimarum populi Romani simul tamen nonnunquam summa in iis deprehendebatur duries, successu temporis plures occurrabant res, ubi neque moribus, neque legibus cautum aliquid receptumque esset. Deinde vero etiam *cum permulta*, uti ait Cicero 2) *præclare legibus es-  
sent constituta, ea jCtorum ingeniis pleraque corrupta ac deprava-  
ta sunt.* Neque causam hujus mali intactam reliquit Cicero, pauci-  
cis enim interjectis addit: *in omni jure civili æquitatem relique-  
runt, verba ipsa tenuerunt.* Cum itaque Prætores ceterique ma-  
gistratus juri dicundo præpositi, custodes atque interpretes essent  
juris civilis, deberentque jus reddere iis, qui jus suum perseque-  
rentur: Edictis suis ab initio magistratus sui in Albo propositis,  
qua deerant in Jure civili supplererunt, obsoleta correxerunt, &  
qua jCtorum ingeniis per interpretationes nimis duras corrupta  
& depravata, æquitate temperarunt. Id autem dum agerent, in-  
ter alia præclara Juris Prætorii capita ipsas etiam restitutions in  
integrum introduxerunt, qua cum ob summam suam æquitatem  
quam maxime se probasset populo Romano, accedente illius ta-  
cito consensu sensim sensimque juris perpetui auctoritatem sunt  
consecutæ. Hæc de causis, deque origine restitutionis in inte-  
grum.

1) I. I. D. de in integr. restitution.

2) In Orat. pro Muren. cap. XII.

\* \* \*

grum. Restat tempus, quo præclara hæc Juris Honorarii pars fuit introducta. Sed de ea re certi quid definiri nequit. Neque hoc cuiquam videbitur mirum. Namque restitutionis in integrum non una est, sed varia sunt species tempore diverso introductæ atque receptæ. Deinde quamvis istæ in integrum restitutiones a Prætoribus sint excogitatae, juris tamen publici perpetui que vim & auctoritatem non prius sunt consecutæ, nisi postquam tanto opere ab æquitate sua se commendaverant, ut fere ab omnibus deinceps Prætoribus retinerentur, neque sine reprehensione omitti possent. Unde facile potest cognosci, plerasque restitutionum species successu demum temporis invaluisse. Incidit tamen plerarumque certe celebriorum specierum origo in reipublicæ liberae tempora. Cum tamen & postea sub Imperatoribus variæ novæ restitutionis species sint introductæ, v. gr. celebris ista emtionis venditionis rescissio ob læsionem enormem 3): exorta est exinde ista restitutionum divisio in Prætorias & Civiles, utilissima quidem in Jure nostro, sed tamen ab hoc loco nimis aliena, quare tam de ea, quam de restitutionibus civilibus nihil amplius addimus, arque unice ad Prætorias revertimur, quibus omnino accensendæ sunt istæ duæ ex capite vis & metus, & ex capite doli, unde argumentum dissertationis nostræ sumsimus.

§. IV.  
*Recensentur causæ, ob quas Prætor in  
integrum restituit.*

Sic itaque diximus, quid sit in integrum restitutio, & quales ea habeat origines. Restant proinde causæ, ob quas Prætor dat restitutionem in integrum, de quibus pauca quædam dicenda esse videntur, priusquam ad ipsum Dissertationis nostræ argumentum accedimus. Fuisse autem harum causarum plures, vel ista satis superque indicant Ulpiani verba, quæ ab initio ḡphi antecedentis adduximus. Ait enim ibi JCtus; *sub hoc Titulo plurifariam subvenit Prætor hominibus* subtilitate juris adversus æquitatem naturalem læsis; Julius Paulus autem eas una oratione omnes

3) l. 2. C. de resciad. emt. vendit.

enarrat, quando ait 1): *Integri restitutionem Prætor tribuit ex his causis, quæ per metum, dolum, & status permutationem, & justum errorem, & absentiam necessariam & infirmitatem ætatis gesta esse dicuntur.* Ex quibus verbis intelligimus, sex esse in genere causas restitutionis Prætoriæ. Prima earum est Vis & Metus, secunda vero Dolus, quam utramque hoc loco vel nominasse sufficiat, deinceps enim de iis erit commodior differendi locus. Tertia causa apud Julianum Paulum est status permutatione, i.e. capitum deminutio 2), cuius tres fuisse olim species indicat Paulus alio loco 3) & in vulgus notum est. Hoc tantum addimus, dictam hanc restitutionem non nisi ad minimam & eam pertinere capitum deminutionem, quæ salva libertate & civitate contingit. Qui enim maximam mediænique sunt passi capitum minutionem, plane non possunt conveniri, atque tunc adversus eos instituenda est actio, ad quos bona eorum pervenerunt 4). Tertiam hanc causam apud I. Crum nostrum excipit justus error tanquam quartam restitutionis causa. Sic v.gr. per errorem læsus est, qui cum pupillo gessit aliquid, ignorans, falsum esse tutorem, quo auctore negotium gessum est, quare Prætor ei subvenit per Edictum: *Quod falso tute auctore gestum esse dicatur.* Atque pertinet utique hoc Edictum ad restituções in integrum, quamvis a Triboniano in aliud translatum sit locum 5), prout partim ex inscriptionibus legum hujus Tituli, quæ ex Ulpiani & Pauli Libro XII. ad Edictum excerptæ sunt, quo uterque de Restitutionibus in integrum egit 6), partim vero ex ipsis hujus Edicti verbis ab Ulpiano 7) allatis intelligimus. Quintam causam Paulus esse ait absentiam necessariam, atque hoc Edicto læsis tam per absentiam suam, quam per absentiam alterius succurrit, quamvis diverso modo & ratione. Ultima denique & sexta restituções in integrum causa est infirmitas ætatis. Subvenit quidem jamjam lex Lætoria minoribus XXV. annis,

- 1) Recept. Sentent. Libr. I. Tit. VII.  
§. 2.
- 2) I. 1. D. de Capit. Minut.
- 3) I. 11. D. eod.
- 4) I. 2. pr. I. 7. §. 2. 3. D. eod.

- 5) In Libr. XXVII. Tit. VI. Pandectarum.
- 6) Vid. Seriem Edicti Perpetui apud Jac. Gothofredum in quatuor Fontibus Jur. civ.
- 7) I. 1. §. 6. D. Quod falso tut. auct. gess.

nis, sed ea lex adolescentes in quoconque contractu dolo tantum malo l<sup>e</sup>sos in integrum restitui jussit 8), non fragilitate consilii lapsos. Pr<sup>r</sup>etor itaque æquitatem naturalem fecutus, in hoc suo Edicto non substituit intra legem Lætoriam, sed minores, fragilitate ætatis atque consilii quoconque modo lapsos adjuvat, etiam si non sint dolo malo circumventi. Atque hæ sunt sex istæ restitutionis in integrum Prætoriæ causæ, quibus addunt nonnulli septimam, scilicet alienationem judicij mutandi causa factam. Sed quamvis ex ea causa in integrum restitutionem fieri dicat Caius 9), atque hoc Edicto ei, qui per alienationem judicij mutandi causa factam l<sup>e</sup>sus est, proponatur adversus alienantem nova in factum actio ad id, quod ejus interest, talem alienationem non esse factam, nisi pristinam judicij causam arbitratu judicis restituat, in quo quædam potest videri veluti imago restitutionis; magis tamen instituitur & a Prætore datur nova, quam restituitur vetus actio, quæ non est amissa, cum alienatio facta re vera non rescindatur. Reætius itaque omittitur hæc restitutionis in integrum causæ, prout etiam eam omisit Julius Paulus 10), & qui hunc atque Vlpianum sequitur, Tribonianus 11), qui omnes, omissa alienatione judicij mutandi causa facta, non nisi sex istas antea dictas restitutionis in integrum causas & species adducunt.

## §. V.

*Quid sit Restitutio in integrum ex capite Vis & Metus,*  
ostenditur.

Quæ haec tenus diximus, præcognita sunt, quibus, quantum satis est, expeditis ad ipsum hujus opusculi argumentum principale accedimus, & ad expositionem doctrinæ Juris Romani de Restitutione in integrum ex capite metus & doli & ad incongruam hujus doctrinæ praxin hodiernam. Faciamus autem initium ab Restitutione in integrum ex capite Vis & Metus. Nomen, quod indicavimus, ex ipso Edicto Prætoris originem habet, ait enim


B 2

Prætor

8) Cicero de Offic. Lib. III cap. 15. Anton. 10) Recept. Sent. Libr. I. Tit. VII. Augustinus de Legibus pag. 101. §. 2.

9) I. 3. §. 4. D. de Alienat. judic. mutand. caus. fact.

11) I. 1. & 2. D. de Restitut. in integr.



Prætor 1): *Quod Vi Metusve causa*, atque addit Vlpianus 2), *Vis* fuisse factam mentionem propter necessitatem impositam contraria voluntati, *metus* autem propter mentis trepidationem instantis vel futuri periculi causa. Hæc itaque est ratio denominationis. Sed ea non obstante pergit JCtus: *postea detracta est vis* *mentio*, fortassis a Juliano in Edicto perpetuo, atque ideo, *quia quodcumque vi atrocifit, id metu quoque fieri videatur*, ipsumque Edictum Prætorium hunc in modum compositum: *Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo.* Sed minimum omnino atque fere nullum habet hæc epicrisis momentum ad rem ipsam. Est autem vis, definiens Julio Paulo 3) *majoris rei*, vel ut alio loco ait 4), *major rei impetus*, qui repelli non potest, utrumque recte, sensuque facilis nec diverso. Metum e contrario Vlpianus esse dicit 5) *instantis*, vel *futuri periculi causa mentis trepidationem*; Eodem pæne modo Cicero 6) metus, ait, est *diffidentia expectati & impendentis mali*, aut, uti alio loco 7) *futuræ ægritudinis sollicita expectatio*, quarum finitionum verba quidem a se invicem differunt, non autem, qui per hæc verba indicatur, sensus. Cæterum has notiones de vi & metu eum potissimum in finem hoc loco adscriptissimus, ut exinde eo rectius intelligamus, quid sit Restitutio in integrum ex capite vis & metus, id quod, prouti speramus, haud amplius erit difficile. Cum enim ex hac tenus dictis cognitum sit, quid sit restitutio in integrum in genere dicta cum intelligamus, quid sit vis & metus; facile patet, restitutio in integrum ob vim & metum esse: redintegranda rei vel causæ per vim & metum amissæ actionem. In his autem definitionibus, quibus, quid amplius addendum sit, haud facile videmus, si forsitan, subtilitatis neglectu, tanquam formula cecidisse videamur, sicuti Romanos Prætor, si in lege agendo formula cecidissent, restituebat in integrum, sic etiam nos, speramus, restituet Lectoris æquitas.

### §. VI.

- 1) l. 1. D. quod met. caus. gest. erit.
- 2) l. c.
- 3) l. 2. D. eod.
- 4) Recept. Sent. Libr. I. Tit. VII. §. 7.

- 5) cit. l. 1. D. quod met. caus. gest.
- 6) Tuscul. Quæst. Libr. IV. cap. 37.
- 7) Ibid. Libr. V. cap. 18.

## §. VI.

*Origo Restitutionis in integrum ex capite Vis & Metus.*

**E**xpositis itaque, quantum satis est, iis, quæ faciunt ad rite formandam restitutionis in integrum ob vim & metum notionem, progrediamur ad illius originem. Atque diximus quidem jamjam in antecessum, restitutiones in integrum primas suas ex Jure Honorario ducere origines, cuius eæ olim constituebant partem insignem præcipuamque. Sed quamvis hæc etiam de nostra restitutionis specie dicenda sint, illius tamen origines paulo accuratius copiosiusque sunt exponendæ, in primis cum Historia Romana hac ex parte, non quidem sufficientes, ast aliquas tamen suppeditet factorum circumstantias. Admodum diu autem caruisse videtur Jurisprudentia Romana insigni hoc & ob æquitatem suam maxime commendabili juris Honorarii capite, cumque deinceps tempore Ciceronis Cn. Octavius, Prætor, Edicto suo prius jussisset: *Quæ per vim metumque ablata essent, reddere* 1): hæc tamen formula tunc temporis adversus Sullanos tantum homines erat proposita 2). Cæterum tamen adeo se ab æquitate sua prudentiaque commendabat hoc Cn. Octavii Edictum, ut, certe sub Imperatoribus, fere ab omnibus deinceps Prætoribus retineretur, neque sine reprehensione omitti posset. Sic itaque sensim sensimque hoc Prætorum Edictum ad omnes vis metusve causa factas laisiones extensum usu perpetuo invaluit, tandemque ab Salvio Juliano in Edictum Perpetuum translatum est. Exponuntur autem in jure nostro hujus Edicti capita duo. Prioris verba Vlpianus 3) hæc prodit: *Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo*, atque addit, olim ita edicebatur: *quod vi metusve causa*, de qua tamen re ſpho antecedente jam diximus. Secundi capituli verba legitima non amplius extant, sensum tamen illius ex diversis Juris legibus 4) ita concinnavit *Gerardus Noodt*

B 3

1) Cicero ad Quintum Fratrem, libro 1. 3) l. 1. D. quod met. caus. gest. er.  
Epist. 1. § 7.

2) Conf. Joan. Aug. Bachii V. Cl. & 4) l. 4. C. h. t. l. 9. §. ult. l. 14. pr. & §. 1.  
Doeffiſſ Hist. Jurisprud. Roman.Lib. II. & 11. l. 16. §. 2. & l. 19. D. cod.  
Cap. II. Sect. III. §. 14. pag. 216.



Noodt 5): *Item quod metus causa gestum erit, de eo si quid aberit ei, cui metus illatus esse dicitur, neque ei arbitrio judicis restituetur, quanti ea res erit, intra annum, quo primum experiundi potestas erit, in quadruplum, post annum in simplum, causa cognita, judicium dabo.* In heredem de eo, quod ad eum pervenit, actionem dabo.

### §. VII.

*Quibus in negotiis locum habet restitutio in integrum ex capite metus, ostenditur.*

**V**t autem vim omnem potestatemque hujus Edicti Praetorii eo rectius intelligamus: sciendum, vim metumque ob necessitatem impositam contrariam voluntati, impedire prorsus atque auferre omnem voluntatis atque consensus libertatem, ipsumque adeo, si dicendum, quod res est, corruere prorsus consensum, quando eum constat per vim & metum esse extortum. Quæ cum ita sint, jus illud, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & ipsa æquitas omnia ista pacta, conventiones, contractus invalidos esse atque nullos jubet, quoties consensum, sine quo ne concipi quidem possunt, vel ex una tantum parte vi metuque fuisse extortum, deprehendamus. Sed ab hac æquitate naturali, non quidem semper, ast aliquando tamen longe lateque recedunt jura Romanorum civilia, atque quoad eam rem summam maximamque constituant differentiam inter negotia, quæ bona fidei esse dicuntur, & quæ sunt stricti juris. Sunt autem bona fidei negotia ea, ubi omnia ex æquitate æstimantur, & in quibus, quando res in judicium deducitur, judicis religioni permititur, in quantum reum ex æquitate putet condemnandum, adeo, ut sententiam suam non, prouti lex & justitia svaldet, sed prout humanitas impellit & misericordia, regat. Ast in stricti Juris negotiis singula ex conventione partium, non ex fide bona & æquitate æstimantur, adeoque judex, quando ea res in judicium deducitur, ad conventionis verba est adstrictus, ab iisque in sententia sua recedere non potest, etiamsi æquitas naturalis id svaldeat.

5) In Comment. ad Pandect. Libr. IV. Tit. II.

deat 1). In istis itaque negotiis, quæ bona fide nituntur, si vis & metus intervenit, insistunt iuræ civilia æquitatis naturalis principiis, atque ea invalida esse volunt. Nam, cum bona fide regantur, quid tandem magis ei potest videri contrarium, quam vis & metus? Inest quidem metui consensus, quia inest electio 2), ast consensus iste non est liber consensus; electio non est libera, quam tamen bona fides bonique mores utique postulant. Proinde sive agat, sive conveniatur metum passus, apparet, convenire officio judicis, ex bona fide cognoscens, judicare, non esse contractum, qui metu initus est, quia non est bona fide initus, Id vero, quid efficit, nisi contractum bonæ fidei, in quo non est ita actum, ut inter bonos bene agier oportet, ipso jure nullum esse? Atque idem illud Vlpianus vult, quando ait 3): *Nihil consensu tam contrarium est, qui ac bonæ fidei judicia sustinet, quam vis atque metus, quem comprobare contra bonos mores est.* Qui itaque metu coactus quid egit, non indiget Prætoris auxilio & restituzione in integrum ob vim metumque in contractibus bonæ fidei, ubi metus Judicis officio ex fide bona corrigitur 4). Rescriptum quidem Gordianus Imperator 5): *Si per vim vel metum mortis aut cruciatus corporis venditio a vobis extorta est, & non postea eam consensu corroborasti, juxta perpetui formam Edicti intra annum quidem agentes, quo experiundi potestas est, si res non restituatur, quadruplici condemnationem referetis, scilicet redditio a vobis pretio, post annum vero causa cognita eadem actio in simulum permittitur.* Sed hæc Gordiani verba iis, quæ haec tenus disputavimus, non obstant, nam ipse Gordianus prioribus hanc addidit limitationem: *Que causæ cognitio eo pertinet, ut ita denum decernatur, si alia actio non sit.* In bona fide negotiis, quæ ob vim & metum ipso jure nulla sunt, cessat itaque

1) Vid. Carol. Sigoniu[m] de Judiciis Libr. I. Cap. 17. & 21. item Joan. Gottl. Heineccium Antiquit. Rom. Libr. IV. Tit. VI. §. 36.

2) l. 21. §. 5. D. Quod met. cauf. gest.

3) l. 16. D. de Reg. Jur. adde Jacob. Go-

thofredum ad h. l. in Comment. de Regulis Juris pag. 497. & Gerard. Novat de Forma emendandi Doli mali, c. 16.

4) l. 1. C. de Refcind. Vendit.

5) l. 4. C. de His, quæ vi metusve cauf. gest. sunt.

itaque regulariter beneficium restitutionis in integrum, atque veluti in subsidium tunc demum locum habet, quando alia actio non est, id quod, quo modo fieri possit, *Gerardus Noodt* exemplo illustravit. 6) Ast in stricti Juris negotiis res aliter se habebat, atque ea, etiamsi consensus per vim & metum sit extortus, Jure Civili semper olim valebant. Id quod tamen cum admodum durum esset, æquitatique contrarium, Prætor ejusmodi negotia Jure Civili valida, primo quidem actione vel exceptione doli mali rescindere coepit 7), quia videbatur is, qui metum fecisset, etiam dolo malo fecisse. Postea vero placuit Prætori in Edicto suo, hunc in finem in specie Actionem, quod metus causa proponere, tandemque etiam de metu exceptionem permittere.

## §. VIII.

*Qualis esse debeat Metus, qui locum facit Restitutioni in integrum, docetur.*

**E**x his itaque huc usque dictis appetet, bonæ fidei contractus ipso Civili Jure infirmari, nec Præatoria Restitutione indigere regulariter, quando consensus, quo in unam sententiam decurrunt contrahentes, vi metuque sit extortus; stricti vero juris negotia, etiamsi in iis vis metusque maximus deprehendatur, Jure Civili valere, sed tamen Jure Prætorio ob æquitatem rescindi. Ceterum tamen nondum sufficit, negotium, quod quis ob vim & metum rescindi cupit, esse stricti juris negotium; necepsè potius est præterea, ut vis injusta sit & atrox, & quæ adversus bonos mores fit. Clare hoc docet Vlpianus 1), atque addit, non eam igitur h. l. intelligimus vim, quam magistratus recte intulit, scilicet jure licito & jure honoris, quem sustinet. Ceterum si per injuriam quid fecit populi Romani magistratus, vel provinciae Praeses, Pomponius scribit, hoc editum locum habere, si forte, inquit, mortis aut verberum terrore pecuniam alicui extorserit. Quemadmodum autem a parte inferentis vis debet esse injusta & contra bonos mores, ita e contrario a parte ejus, cui infertur, vis ista debet producere metum, cumque non qualem qualem & vanum,

6) I. c. circa finem.

7) I. 14. §. 13. D. Quod met. caus. gest. §. VIII. 1) I. 3. §. 1. D. Quod met. caus. gest. erit.

sed qui cadit in hominem constantem. Hinc Caius ait 2): *Metus autem non vani hominis, sed qui merito est in hominem constantissimum cadat, ad hoc Edictum pertinere, dicemus.* Hunc talem timorem vel metum Vlpianus dicit, 3) auctore Labeone, *majoris malitatis.* Forte legendum est *calamitatis*, alii volunt *malignitatis*, codex Florentinus ait *malitatis*, & probat hanc legationem Duckerus 4). Ceterum, quinam metus sit vanus, nec ne? id quidem facti quæstio est, non juris, adeoque non lege quadam generali potest decidi, sed judicis arbitrio relinquenda est. Non desunt tamen in jure nostro exempla, tam vani metus, quam metus illius, qui cadit in hominem constantem, e quibus utriusque conditio facile potest cognosci. Sic iustus est metus, metus mortis, cruciatus corporis 5), item stupri 6), servitutis 7), carceris 8) & quæ s. r., quibus omnibus cum Julio Paulo addimus 9): *Hæc, quæ diximus, ad edictum pertinere, nihil interest, in se quis veritus sit, an in liberis suis, cum pro affectu parentes magis in liberis terreatur.* E contrario autem si quis meticulosus rem nullam frustra timuerit, per hoc Edictum non restituitur, sic v. gr. si timore, ne ad civilia munera nominareris, quid gesseris, ejusque rescissionem veluti metus causa gesti desideres: ajunt Diocletianus & Maximianus A. A. 10), ejusmodi metum prodesse non posse. Similiter Senatoria dignitas adversarii ad metum arguendum, per quem quis dicit initum esse contraëctum, idonea non est 11), nisi per potentiam adversarii in dignitate constituti quid extorqueatur, tunc enim iustus adest metus 12). Porro hoc Edicto non continetur alicujus vexationis timor, imo ne quidem infamiae metus 13), cuius rei

C. de His, quæ vi metusve caus. gesta sunt.

- 2) l. 6. D. Eod.
- 3) l. 5. D. Eod.
- 4) De Latinitate Vet. J. Ctorum p. 325 sq.
- 5) l. 7. C. de His, quæ vi metusve caus. gest.
- 6) l. 8. §. 2. D. Quod met. caus. gest. er.
- 7) l. 4. D. Eod.
- 8) l. 22. D. Eod. *Jul. Paulus Recep. Senti.*  
Libr. I. Tit. VII. §. 10.
- 9) l. 8. §. ult. D. Quod met. caus. gest.
- 10) l. 8. C. de His, quæ vi metusve caus. gesta sunt.
- 11) l. 6. C. Eod.
- 12) l. 12. C. Eod. l. 23. §. 1. D. Quod met. caus. gest. er.
- 13) l. 7. pr. D. h. t.

hanc reddidit causam Gerardus Noodt 14), quia infamia non  
 pendet a facto & opinione privati hominis, sed a jure. Necesse  
 itaque est, ut iustus sit metus, hominis constantis & praesens, et si  
 futuri aut imminentis periculi, atque tunc demum locus est Edicto  
 Praetoris: *Quod metus causa gestum est, ratum non habebo.* Quid  
 autem intelligit Praetor per verba: *Quod metus causa gestum est?*  
 Atque Labeo, quem scimus, in Grammaticam literasque anti-  
 quiores altioresque penetrasse, latinarumque vocum origines  
 rationesque percallentem ea praeципue scientia ad enodandos pleros-  
 que juris laqueos feliciter usum esse, hic, inquam, Labeo, teste  
 Vlpiano 15) vocabulum gerere distingvit ab agere & contrahere,  
 atque actum quidem generale verbum esse ait, sive verbis sive re-  
 quid agatur, contractum autem ultro citroque obligationem, &  
 gestum deoique rem significare sine verbis factam. Sed in hoc  
 Edicto gestum est qualiter qualiter gestum, sive obligatio-  
 ne, sive liberatione, sive traditione, prouti totus hic Digestorum  
 titulus evincit. Neque etiam interest, utrum res, quae  
 metus causa gesta est, sit imperfecta, id est, tantum promissa,  
 nondum tradita, an jam sit perfecta, id est, traditione consum-  
 mata. Nam in genere ait Praetor: *Quod metus causa gestum est;*  
*ratum non habebo*, atque igitur utroque in casu in integrum  
 restitutionem promittit. Necesse tamen est, ut is, qui eam petit,  
 ex isto negotio, quod vi metuque gestum est, damnum aliquod  
 sentiat 16), idque alicuius sit momenti 17), & dignum extraor-  
 dinario hoc remedio, unde proverbium: *Minima non curat Praetor.*  
 Quale damnum autem non nullius momenti esse dicatur, illud  
 quidem leges haud desinunt, sed arbitrio judicis relinquant.  
 Quamvis enim Paulus 18) duorum aureorum faciat mentionem,  
 id tamen ad restitutionem ex capite doli tantum, non in genere ad  
 restitutionem in integrum pertinere videtur. Dispiciendum potius  
 est, utrum majori forsitan cause per minorem, ob quam re-  
 stitu-

14) In Commentar. ad Pandect. Lib. IV. 16) I. 12. §. ult. D. *Quod met. cau.*  
 Tit. II.

15) I. 19. D. de Verb. signific.

17) I. 4. D. de in Integr. restitution.  
 18) I. 10. D. de Dolo malo.

stitutio in integrum petitur, præjudicium fiat, id quod jura nostra fieri vetant 19).

### §. IX.

#### Petitur hæc restitutio per Actionem.

**Q**uidquid igitur eo, uti diximus, modo metus causa gestum erit, illud Prætor ratum non habebit. Quibus verbis hoc pollicetur, se improbaturum omne id, quod vi metuque gestum, & in integrum, i. e. in pristinum statum, in eum statum, in quo erat, antequam intervenerit metus, restituturum, quidquid ob metum juris subtilitate sit amissum. Hunc autem in finem duo a Prætore prodita sunt remedia, *Action scilicet quod metus causa*, & deinde etiam *Exceptio quod metus causa*, quæ qualia fuerint, id jamjam paulo distinctius exponendum esse videtur. Primo de Actione quod metus causa. Hæc autem describitur, quod sit Action Præatoria, in rem scripta & arbitraria competens per vim iniustam & atrocem læso, ejusque hæredibus adversus eum, qui metum intulit, & omnem rei vi metuque extorta possessorem ad rem cum omni causa restituendam, vel nisi arbitrio judicis restituatur, intra annum usum in quadruplum, post annum in simpulum. Datur itaque hæc actio ei, cui ob vim metumque aliquid abest, non simpliciter, si quid metus causa gestum erit, nam natura hujus actionis necessario damnum exigit 1). Datur ea vero etiam læsi hæredibus & successoribus, & ex ea quidem ratione, uti ait Vlpianus 2), quoniam & rei habet persecutionem, i. e. quoniam non ad vindictam tendit hæc actio, ut ideo tanquam odiosa hæredibus deneganda sit, sed, quamvis poenalis sit, tamen ea semper ipsam etiam rem persecuitur, quæ propter metum abest. Quæri præterea poterit, uti jam olim fuisse quæsumum ex Vlpiano 3) discimus, an etiam ei, qui vim fecerat, si mox vicissim sit metum passus, restitui Prætor velit per hoc Edictum ea, quæ alienavit? Et Pomponius scribit apud Vlpianum 4): non opor-

19) I.4.D. de Restitution. in integr. l. 54. 2) I. 14. §. 2. D. h. t. l. 16. §. 2. D. eod.

D. de Judicis & ubi quisque &c.

1) l. 12. §. ult. D. Quod metus causa gest. er.

C 2

3) l. 12. §. 1. D. h. t.

4) l. c.



tere ei Prætorem opem ferre, nam cum liceat vim vi repellere, quod fecit, passus est. Sic itaque intelligimus, cuinam detur hæc actio? nunc videamus, aduersus quem locum habeat. Datur autem ea in genere aduersus omnes eos, ad quos res metu extorta, ejusve utilitas pervenerit, etiamsi ipsi metum non intulerint. Nam descendit ea quidem ex illato metu & proinde ex delicto, unde sequitur, eam esse in personam 5), & ob eam causam aduersus tertios rei per metum extortæ possessores locum habere non posse 6), sed a Prætore tamen, ex cuius Edicto descendit ista actio, ea in personam non concepta, sed generaliter sine designatione personæ proposita est. Hinc ab Vlpiano ea in rem scripta actio esse dicitur 7) & talis, qua non persona vim facientis coeretur, sed qua aduersus omnes restitutio ejus, quod metus causa factum est, petitur. Et in hac actione, alio loco ait Vlpianus 8) non queritur, utrum is, qui convenitur, an aliud metum fecit, sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum vel vim, & ex hac re eum, qui convenitur, et si crimine caret, lucrum tamen sensisse. Nam cum metus habeat in se ignorantiam, merito quis non adstringitur, ut designet, quis ei metum vel vim adhibuit. Et ideo ad hoc tantum actor adstringitur, ut doceat metum in causa fuisse, ut alicui acceptam pecuniam facheret, vel rem traderet, vel quid aliud facheret. Nec cuiquam iniquum videtur, ex alieno facto alium in quadruplum condemnari, quia non statim quadruplicet actio, sed si res non restituatur. Quamvis autem aduersus eos detur hæc actio, qui metum intulerunt, & aduersus omnes rei vi extortæ possessores; aduersus hæredes tamen ea non datur, nisi quatenus ad eos pervenit 9), i.e. quatenus per illam rem vi extortam hæreditas ad illos devoluta facta est locupletior. Restat, ut videamus, ad quid, & ad quem modum detur hæc actio. Datur autem ea principaliter ad id, ut restituatur omne id, quod metus causa actori abest, & eo quidem modo, quo foret, si vis aut metus non intervenisset 10), cum omni causa, omnibusque fructi-

5) I. 31. Inst. de Action.

8) I. 14. §. 3. D. h. t.

6) I. 25. pr. D. de Obligat. & Action.

9) I. 16. §. 2. D. Eod.

7) I. 9. §. 8. D. Quod met. caus. gest.

10) I. 9. §. 7. D. Eod.

fructibus 11). Quod si vero id, quod metus causa abest, arbitrio judicis non restituatur, intra annum in quadruplum datur, post annum in simplum. Quadruplatur autem id, quanti ea res erit, id est, cum fructibus & omni causa 12), id quod tamen de ea tantum re, quæ actori vere abest, intelligendum. Hinc si quis, metu coactus, tradidit possessionem fundi non sui, is consequetur, non quanti fundus, ejusque proprietas, sed quanti illius possessio est ejusque quadruplum cum fructibus. In hac autem quadrupli condemnatione res, qua abest, ipsa omnimodo simul continetur; & ejus restitutio fit, poena vero tripli est 13). Quod si vero res, quæ metu extorta est, casu perierit: distinguendum, utrum apud eum, qui metum intulit, maleaque fidei possessorem, an apud bona fidei possessorem perierit. Sin prius, tunc aut ante, aut post condemnationem intra quatuor menses, aut post tempus judicati intercidit; & sic primo casu reorum periculo perit, secundo rei non rem, sed triplum tamen praestant, si res apud dominum æque fuisset peritura, tertio denique casu & in rem & in triplum tenentur. Sin autem apud tertium bonæ fidei possessorem res perierit, vel ante, vel post sententiam periit. Si ante, damnum domini est, post sententiam vero bona fidei possessoris 14). Durat autem hæc actio quod metus causa, de qua haec tenus diximus, quatenus ob contumaciam in quadruplum datur, secundum jura antiquiora unum annum utilem 15), secundum jura recentiora quatuor annos 16), quatenus autem simplum petitur, tunc ut reliquæ actiones in rem scriptæ, imitatur actiones in rem, & non nisi longi temporis præscriptione excluditur 17).

## C 3

## §. X.

- 11) l. 12. pr. D. Eod. l. 38. §. 5. 6. D. de Pandect. Libr. IV. Tit. II. ad §. 477. p. V für. 158.  
 12) l. 14. §. 1. & 7. D. Quod met. caus. 15) l. 14. §. 1. 2. D. Quod met. caus. gest.  
 13) l. 14. §. 10. D. Eod. 16) l. 7. C. de Temp. Restitut. in integr.  
 14) l. 14. §. 11. D. Eod. conf. J. G. Heineccius in Elem. jur. civil. secund. Ord. 17) l. 3. C. de His, quæ vi metusve causa gest. sunt.

## §. X.

*Eadem Restitutio etiam per Exceptionem petitur.*

**H**aec tenus de primo remedio, quo Prætor iis succurrerit, qui ob metum juris subtilitate læsi sunt. Sequitur alterum, scilicet *Exceptio, quod metus causa*, quam Prætor dat iis, qui metu coacti promiserunt, eorumque hæredibus & omnibus, quorum interest, contra omnes, qui ex negotio vi metuque gesto agunt, quamvis vim non intulerint, ad elidendam omnem eorum actionem. Mediante hac exceptione itaque res imperfecta, i. e. quæ promissa tantum, nondum tradita est, non habetur rata, si scilicet promissor metum passus ejusque hæredes convenientiantur actione ex stipulatu, ad præstandum id, quod promissum est. Ceterum hæc exceptio iisdem, quibus actio quod metus causa datur, atque etiam adversus eosdem datur, adverlus quos spacio antecedente actionem quod metus causa cōpetere diximus. Differt autem hæc exceptio quod metus causa ab exceptione dolii, nam hæc dolii exceptio personam ejus complectitur, qui dolo fecit, cum econtrario metus causa exceptio in rem scripta est, ubi non inspicimus, an is, qui agit, metus causa fecit aliquid, sed an omnino metus causa factum est in hac re a quocunque, non tantum ab eo, qui agit. Et ob hanc differentiam, teste Vlpiano 1), utilius visum est, etiam de metu proponere exceptionem, quam Cassius ab initio contentus dolii exceptione, quæ generalis est, non proposuerat. Quamvis autem hæc exceptio contra omnes detur, qui ex negotio vi metuque gesto agunt, sciendum tamen est, ait Vlpianus 2), hanc exceptionem de metu eum objicere debere, qui metum non a parente passus est, in cuius fuit potestate. His addimus, quamvis actio quod metus causa, quando in quadruplum agitur, prout diximus, temporalis sit, exceptionem metus tamen esse perpetuam & peremptoriam 3), neque obscura esse potest hujus diversitatis ratio. Nam actoris in arbitrio quidem est, agere, quandocunque velit, is autem, cum quo agitur, non habet potestatem, quando conveniatur 4).

## §. XI.

1) l. 4. §. 33. D. de Dolii mali & Met.

Except.

3) l. 3. D. de Except, Præscript. & Prajud.

2) l. c. 4. §. 34. D. Eod.

4) l. 5. §. ult. D. de Dol. mal. & met. ex-

cept.

## §. XI.

*Ostenditur, quid sit dolus malus, & exinde descendens  
restitutio in integrum.*

**E**xpositis, quantum satis est, iis, quæ erant dicenda de Restitu-  
tione in integrum, quæ sit ob vim metumque, ad secundam  
& alteram jam progredimur restitutionis speciem, ad eam scilicet,  
quæ sit ex capite doli. Ut autem omnia, quæ ad eam pertinent,  
eo rectius intelligantur; primo quidem in genere de Dolo quæ-  
dam præmonenda esse videntur. Et in genere quidem dolus est,  
cum aliud agitur, aliud simulatur, quod cum fieri possit ex bona  
& ex mala causa, facile est ad intelligendum, vocabulum *Dolus*  
ad ea pertinere verba, quæ media dicuntur, quæque duas inter-  
te capere possunt res contrarias 1), omnemque proinde dolum  
vel bonum esse, vel malum. *Bonus dolus* est sollertia, qua simula-  
tione quadam non ad alterum laedendum, sed ad justitiam utili-  
tatemque utimur; sed bonus hic dolus, de quo ex instituto egit  
Everardus Otto 2), ad nostram non pertinet restitutionem in  
integrum ex capite doli. Prouti enim ex Vlpiano discimus 3),  
Prætor, cui debemus hanc restitutionem, non contentus fuit, *dolus*  
dicere, sed adjecit *malum*. Omissa itaque dolo bono, ad  
malum accedimus. Hunc autem quod attinet, non desunt qui-  
dem in Jure nostro definitiones, ex quibus tamen id intelligimus, ve-  
teres JCTos in definiendo eo non una semper eademque fuisse usos  
formula. Aquilius Gallus, qui protulit de dolo malo formulas, cum  
ex eo quereretur, quid esset dolus malus, teste Cicerone 4) re-  
spondit, *cum esset aliud simulatum, aliud actum*. Atque addit  
non tantum Cicero: *quod quidem sane luculententer, ut ab homine*  
*perito definiendi*, sed Julius Paulus etiam 5) eodem modo dolum  
malum definivit. Ast Aquilii auditor Servius Sulpicius verbis  
paulo pluribus apud Vlpianum 6) ait: *Dolus malus est machina-  
tio quædam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, aliud*  
*agitur*, & eodem pâne modo Pedius definitivit dolum malum 7).

Ab

1) Gellius Noct. Atticar. Libr. XII. c. 9.  
2) In Dissertat. de Dolo Bono.  
3) I. 1. §. 3. D. de Dol. mal.  
4) De Officiis libr. III. cap. 14.

5) Recept. Sentent. Libr. I. Tit. VIII. §. 1.  
6) I. 1. §. 2. D. de Dolo malo.  
7) I. 7. §. 9. D. de Paetis.



Ab hac autem finitione recedit Labeo atque ait 8): *Potest & sine simulatione id agi, ut quis circumveniatur, potest & sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, sicuti faciunt, qui per ejusmodi dissimulationem deserviunt, & tueruntur vel sua, vel aliena.* Ob eam itaque causam Labeo aliam in illius Servii locum substituit definitionem, atque ait: *Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita,* atque addit Vlpianus 9:) *Labeonis definitio vera est.* Cæterum, quamvis veteres in definiendo dolo malo non una usi sint formula, atque Vlpianus Labeonis demum definitionem veram esse dicat, unam tamen non modo Aquilii Galli, & Servii Sulpicij sed Labeonis quoque & Vlpiani de dolo malo fuisse sententiam, non sine ratione existimat Gerardus Noodt 10). Nam non id egit Aquilius, & Servius, ut veram aliquam propriamque definitionem doli mali traderent, uterque tantum voluit aliquam facere demonstrationem, ex qua, quid esset dolus malus, qualiter qualiter intelligeretur, quam definiendi formam veteribus admodum familiarem fuisse, nemo est, qui nesciat. Has itaque demonstrationes non fallas esse ait Labeo, sed quod Aquilius Serviusque brevibus verbis & qualiter qualiter tantum indicaverat, id Labeo exacte, plene & distinete explicavit. Huic autem definitioni doli mali, a Labeone traditæ, jam olim Franciscus Hotomannus 11) ineptæ verborum idem sonantium repetitionis crimen objecit, a quo tamen eam liberavit Vlricus Huberus 12) ostendens, non cumulari hic synonyma a Labeone, sed tres istas verborum copulas distinctos habere sensus atque veluti doli mali gradus. Primus gradus est *Calliditas*, cui respondet vocabulum *circumveniendi*. Est autem calliditas dexteritas veteratorie simpliciores circumveniendi, & natio, ut loquimur, suspenderi, non aperte, nec impudenter, sed occulte & speciose, quod & circumvenire eleganter significat. Secundum Labeo ponit *fallaciam*, cui verbum aliud, quam *fallendi* aptare non potuit; est autem

8) l. i. §. 2. D. de Dol. mal.

11) Observationum Libr. I. cap. 19.

9) l. c. i. §. 2. D. de Dol. mal.

12) Digressionum Libr. III. cap. 25.

10) De Forma Emendandi Dolimali, c. II.

autem fallacia fraus directa verbis & mendacio facta. Tertius gradus est *machinatio*, cui respondet vox *deciptendi*; Machinatio vero est deceptio per technas, ambages & intidias. Ita Huberus bene & perspicue rem explicavit, & qui scit, veteres ut plurimum qualibus qualibus uti rerum descriptionibus, raro accuratis justisque definitionibus, ille facile perspicier, Vlricum Huberum justam suscepisse dictæ definitionis defensionem, eamque omnino ab istis Francisci Hotomanni liberasse criminationibus. Sed satis de dolo malo, de quo ideo hæc omnia disputationis, ut exinde eo restituimus intelligatur, quid sit restitutio in integrum ex capite doli, sive redintegranda rei vel causæ per dolum malum amissæ actio.

### §. XII.

#### *Origo Restitutionis in integrum ex capite doli.*

Primum est, ut in origines atque veluti natales hujus restitutionis in integrum ex capite doli inquiramus. Prouti autem de restitutione ob metum jamjam diximus, Jurisprudentiam Romanam admodum diu caruisse præclaro isto Juris Honorarii capite, ita idem omnino de hac nostra restitutione ob dolum dicendum est. Coercuerunt quidem jamjam leges antiquissimæ decemvirales dolum tam tutoris quam patroni 1), vindicabatur etiam olim circumscriptio adolescentium lege Lætoria 2) & quarum eunque personarum sine lege judiciis, in quibus additur: *Ex bona fide agitur*. Sed nihil tamen feciis ex Cicerone discimus, restitutionem in integrum ob dolum malum ad usque sua tempora fuisse incognitam. Refert enim Cicero 3), C. Canium, equitem Romanum, cum se Syracusas otiani causa contulisset, dictitas se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi se oblectare sine interpellatione posset. Quod cum percrebuisse, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut fuis, & simul

D ad

1) Conf. Leg. XII. Tabul. apud Jacob Historiam Jurisprudentiae Romanæ  
Gothofredum, Tab. VII. Libr. II. Cap. II. Sect. I. §. 27. p. 144.

2) Conf. Anton. Augustinum de Legibus, 3) De Officiis Libr. III. cap. 14.  
loc. cit. atque Joan. Aug. Bachii V. Cl.



ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus, pisca<sup>t</sup>ores ad se convocavit, & ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie pisca<sup>t</sup>arentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium: cymbarum ante oculos multitudo. Pro fe quisque, quod ceperat, afferebat, ante pedes Pythii pisces abjiciebantur. Tum Canius: Quæso, inquit, quid est hoc, Pythi, tantumne pisces, tantumne cymbarum? Et ille, quid mirum, inquit, hoc loco est, Syracusis quidquid est pisces: hæc aquatio: hac villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate, contendit a Pythio, ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? imperat, emit homo cupidus, & locuples, tanti quanti Pythius voluit, & emit instructos; nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postride familiares suos. Venit ipse mature; scalmum nullum videt. Quærerit ex proximo vicino, num feriæ quædam pisca<sup>t</sup>orum essent, quod eos nullos videret. Nullæ, quod sciam, inquit ille, sed hic pisca<sup>t</sup>i nulli solent. Itaque heri mirabar, quid accidisset. Et haec tenus Cicero. Cum itaque, protuti ex hac facti narratione intelligimus, Canius videret, se esse a Pythio deceptum; addit Cicero prioribus: *Stomachari Canius. Sed quid ficeret? Nondum enim Aquilius, collega & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas.* Nondum itaque tunc temporis cognita erat & introducta restitutio in integrum ob dolum malum, & ex ea causa contraetus Canii Pythiique, etsi esset plenus doli mali, non poterat rescindi, tanquam invalidus. Sed tamen haud ita multo post introductum est præclarum hoc & æquitatis plenissimum Juris Honorarii caput de Dolo malo, quod Cicero *doli mali formulas* appellat. Tribuitur autem hoc Edictum longe celeberrimum a Cicerone non uno in loco C. Aqvilio Gallo, JCto. Nam, ut non repetamus ista Ciceronis verba, quæ paulo ante dedimus, alio loco 4) ait: *everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod C. Aqvilius familiaris noster protulit.* Atque hæc Ciceronis testimonia tam luculenta sunt, ut

4) De Natur. Deor. Libr. III. cap. 30.

ut ea haud ita facile a quoquam in dubium vocari posse videantur. Sed nihil secius tamen, non obstante auctoritate Ciceronis, quam summam maximamque esse, libenter concedimus, scrupulum hic movet dubitationemque haud levem V. C. Joannes Augustus Bachius 5) ideo potissimum, quod C. Aqvilius Gallus Prætor quidem cum Cicerone, sed non urbanus fuit, adeoque ejusmodi Edictum proponere non potuit. Non id mihi sumo, ut me parrem existimem huic scrupulo removendo, relinquo potius hanc rem peritioribus, & qui præ reliquis huic negotio par esse videntur, Viro doctissimo Jo. Aug. Bachio. Cæterum tamen illud quidem extra omnem dubitationis aleam positum esse videntur, ad usque Ciceronis tempora restitutionem in integrum ex capite doli fuisse incognitam, his ipsis autem temporibus eam introducetam esse. Transit deinde hoc Juris Honorarii caput, hoc everriculum militiarum omnium ex Edictis Prætorum annuis in Edictum perpetuum Salvii Juliani, & servavit nobis hanc doli mali formulam, qui ad Edictum perpetuum scripsit, Vlpianus hunc in modum 6)  
*Quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & iusta causa esse videbitur, judicium dabo.*

### §. XIII.

*Ex hoc Edicto non omnia negotia propter dolum  
invalida sunt.*

Cæterum tamen non una est omnium negotiorum, quæ dolo malo facta esse dicentur, ratio, neque formula doli mali ad quævis negotia dolo malo peracta, æquali jure pertinet. Nam quamvis naturalis ratio in omnibus omnino negotiis bonam fidem desideret, atque contractum quemcunque, in quo non hanc reperiatur, sed dolum malum, nullius momenti, irritum & nullum existimet: ab hac tamen simplicitate æquitateque naturali, id quod & in negotiis vi metuque extortis evenisse, diximus supra, recedebant Romani, aliósque contractus bonæ fidei, stricti juris alios esse dicebant, atque secundum hanc distinctionem dolum malum, in negotio aliquo admissum, dijudicabant. In stricti ju-

### D 2

5) In Hist. Jurispr. Roman. Libr. II. Cap. 6) l. 1. pr. & §. 1. D. de Dol. mal. II. Sect. III. ad §. 14. not. m. pag. 217.

ris negotiis itaque, quamvis dolus malus apud omnes bonos viros & graves turpis & fœdus habebatur, tamen nisi stipulatio intervenisset, dolum malum abesse abfuturumque esse, quo casu locus erat ipso Jure Civili actioni ex stipulatu, 1) dolus ille malus ideo negligebatur Jure Civili, quod, quidquid adstringendæ obligationis est, id, nisi palam verbis exprimatur, perinde quasi omnissimum sit, ad officium judicis non pertinet 2). Quodcunque proinde negotium stricti juris, etiamsi esset plenissimum doli mali, ideo Jure civili valebat, quia stricti juris erat. Atque huic subtilitati Juris Civilis, coniunctæ cum summa iniquitate, obviam ibat Prætor in Edicto suo: *Quæ dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & justa causa esse videbitur, judicium dabo.* In his autem negotiis, quæ bonæ fidei esse dicuntur, si dolus malus intervenisset, quid, quæsto, secundum civilia jura operatur dolus malus? Et in his quidem bonæ fidei negotiis, quæ unice *Bona fide* nituntur, etiamsi in contrahendo non esset dictum vel promissum: *Ex fide bona, aut: Ut inter bonos bene agier oportet, aut: dolum malum abesse, abfuturumque esse* 3), quæ, quamvis omissa, semper tamen pro adjecto habentur 4), dolus malus, non dicam humanitate damnabatur, sed potius judicis officio ipso jure coercebatur, cum contrarius esset bonæ fidei, quam in his contractibus non modo naturalis æquitas, sed ipsum etiam civile jus semper exigit 5). Hinc ait Cicero 6): *Iste dolus malus erat vindicatus & sine lege judiciis, in quibus additur: Ex bona fide agitur. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt, in arbitrio rei uxorio, Melius æquius; in fiducia, ut inter bonos bene agier. Quid ergo? aut in eo, quod Melius æquius, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur: Inter bonos bene agier, quidquam agi dolose aut malitiose potest?* In bonæ fidei negotiis itaque non opus esse videtur restituzione in integrum ex capite dolii, utpote quæ, si dolus malus intervenisset, ipso jure etiam civili nulla prorsus sunt atque invalida 7).

## §. XIV.

- 1) l. 1. §. 4. D. de Dol. mal.
- 2) §. 3. Inst. de Obligat. ex Consens. l.
- 3) l. 68. §. 1. D. de Contrahend. Emt.
- 4) l. 29. §. 4. D. Mandat. vel. contr.
- 5) l. 116. l. 152. §. 3. D. de Regul. jur. 92. D. de Verbor. Obligat.
- 6) De Officiis Libr. III. cap. 15.
- 7) l. 3. §. 3. D. Pro Socio.
- l. 31. §. 20. D. de Aedilit. Edict.

## §. XIV.

*Vtrum adsit in B. F. negotiis differentia inter dolum, qui  
dat contractui causam, & qui in contractum incidit?*

Sed hoc tamen loco sicco, quod dicitur, pede prætereunda non est celebris ista & a viris doctissimis ultro citroque agitata quæstio: utrum divisio doli in eum, qui dat contractui causam, & qui incidit in contractum, in bonæ fidei negotiis producat jurium diversitatem, nec ne? Est autem hæc quæstio una ex iis, in qua definienda JCti utique celeberrimi elaborarunt, quamque & qui affirmarunt, & qui negarunt, adeo decora veste circumdederunt, ut meæ in primis conditionis homines inter ajetium & ne-gantium dissidia suspensi, quo tandem se vertant, nesciant. Ne tamen nihil dixisse videamus de controversia tam celebri, potiora illius momenta breviter enarrabimus. Scilicet dividitur dolus a JCtis in eum, qui dat contractui causam, & in dolum, qui incidit in contractum. Ille est, quando quis ultro non contracturus, dolo malo ad contrahendum inducitur, hic autem, quando quis alias contracturus circa rem aut circa estimationem dolo mali circumscribitur. Qui itaque affirmant, dictam hanc doli mali divisionem in bonæ fidei negotiis producere jurium diversitatem, ii, quando dolus dedit contractui causam, illum ipso jure nullum esse, neque parere actionem, neque egere rescissione contendant, quando vero tantum incidit dolus malus circa partem aliquam in contractum bonæ fidei puta: circa rei valorem, aut traditionem, aut pretii numerationem, tunc ipsum quidem contractum validum esse, ajunt, sed emendari tamen damnum, dolo incidente datum, actione, non de dolo malo, verum ex ipso bonæ fidei contractu descendente, aut, si conveniatur, qui dolum passus est, exceptione doli mali, tanquam tali, que omnibus inest bonæ fidei judiciis. Atque ita qui sentiunt, tinentur se, suamque sententiam auctoritate in primis Vlpiani 1), cuius verba, tametsi prolixa, ut transcribamus, rei dignitas postulat. Ita autem ait ille: *Et eleganter Pomponius haec verba: Si alia actio non sit, sic excipit, quasi res alio modo ei, ad quem ea res pertinet, salva esse non poterit. Nec*

D 3

vide.

1) l. 7. pr. D. de Dol. mal.



videtur huic sententiae aduersari, quod Julianus libro quarto scribit: *Si minor annis xxv. consilio servi circumscriptus, eum vendidit cum peculio, emtorque eum manumisit, dandam in manumissum de dolo actionem.* Hoc enim sic accipitur, carere dolo emtorem, ut ex emto teneri non possit, AVT NLLAM ESSE VENDITIONEM, SI IN HOC IPSO, VT VENDERET, CIRCVMSCRIPTVS EST. Et quod minor proponitur, non inducit in integrum restitutionem. Nam aduersus manumissum nulla in integrum restitutio potest locum habere, & q. s. r. His autem verbis diserte ait JCtus: nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus est, & notanda hoc loco oppositio casuum. Nam dum ait, nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, minor circumventus sit, casum hunc opponit casui antecedenti, quo dolo incidente, non causam dante contractus ipso jure valet 2). Adsunt præterea & alia loca, quæ in scenam producunt hujus sententiae adfertores 3), quibus tamen ob temporis locique angustiam haud immoramus. Progredimur potius ad alteram JCtorum classem, eorum scilicet, qui negant, istam antea allatam divisionem in bonæ fidei negotiis producere jurium diversitatem. Horum autem alii quoscunque contractus, sive sint bona fidei, sive stricti juris, quamvis dolus iis causam dederit, ipso jure consistere, atqne effectum habere, sed rescindendos esse actione vel ex contractu descendente, vel de dolo malo, si alia non superfit, contendunt. Sed huic quidem sententiae diserte repugnat Vlpianus, qui: *Item relatum est, inquit 4), apud Labeonem, si minor circumscriptus societatem coierit, vel etiam donationis causa, nullam esse societatem, nec inter majores quidem, & ideo cessare partes Praetoris.* Idem & Osilius respondit, *satis enim ipso jure munitus est.* Repugnant præterea ea, quæ §. anteced. probavimus. Alii vero, quorum Gerardus Noodt, Vir summus, familiam dicit 5), in hanc eunt sententiam; omnes bona fidei contractus, in quibus detegitur dolus malus, sine

2) Conf. Vinnii Sel. Jur. Quæst. L. I. c. 12. 4) I. 16. §. 1. D. de Minoribus.

3) v. c. l. 16. §. 1. D. de Minorib. l. 3. §. ult. 5) De Forma Emendandi Doli Mali cap. D. pro Socio, l. 8. §. 10. C. de Refici- III. & VII.  
dend. vendit.

\* \* \*

fine distinctione, utrum dederit contractui causam, an vero in-  
ciderit, Jure Civili ipso jure fuisse nullos. Vix autem opus esse  
videtur, ut addam, Gerardum Noodt non tantum suam, quam  
tuetur, sententiam gravissimis comprobare argumentis allabora-  
se, verum etiam, ut eo maius huic sive sententiæ accederet pon-  
dus, doctrinam ab initio hujus sp̄hi expositam, tanquam sive sen-  
tentia quam maxime contrariam tam acriter impugnasse, ut eam  
non regi juris ratione certa & æquabili, sed vago, lubrico &  
præcipite labi itinere, nec quo vetigium tuto moveat, valde di-  
scernere, contendat. Non is ego sum, qui tantas componere lites  
audeam, neque etiam hoc mihi sumo. Cæterum tamen haec mi-  
hi sedet opinio, Noodti sententiæ adhuc dum repugnare auctorita-  
tem Vlpiani 6), idque mihi videri exemplo grave esse, glos-  
semata continuo increpare, totosque versiculos ejicere, atque igi-  
tur ferro medicinam quererere; prouti eam quæsivit Gerardus  
Noodt 7) in uno Vlpiani loco 8), quem supra dedimus. In hoc  
enim, quia aliter magnas istas difficultates, quas crebat, expe-  
dire non licet, vim majorem excusandam esse existimavit, atque  
verba: *aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet,*  
*circumscripitus est*, tanquam glossema alicujus interpretis, certe  
non Vlpiani verba, uti putat, delevit atque ejecit.

### §. XV.

#### *Restitutio in integrum ex capite dolii vel Actione de dolo petitur, vel Exceptione.*

Sed redimus ad ipsam restitutionem in integrum ex capite dolii,  
a qua nos paululum abduxerat insignis ista, quam §. anteced.  
tetigimus, controversia, ab hoc tamen loco non prorsus aliena.  
Verba autem Edicti, quibus nititur omnis haec restitutio, alio lo-  
co jam dedimus, & sunt haec sequentia: *Quæ dolo malo facta  
esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, & iusta causa es-  
se videbitur, judicium dabo*, atque probavimus, prouti spera-  
mus, non ad bona fidei negotia pertinere haec Edicti verba, uti-

6) I. 7. pr. D. de Dol. mal. I. 12. §. 1. D. 7) Conf. de Forma Emendandi Doli ma-  
li cap. 14. & de Jurisdic. Libr. I. cap. 14.  
de Jur. dotium.

8) I. 7. pr. D. de Dol. mal.

que vero ad ea, quæ stricti juris esse dicuntur. Cæterum tamen quicunque contractus stricti juris sive dolus malus intervenisset, sive etiam vis & metus, non obstante Prætoris Edicto, Jure Civili semper validus erat, atque proinde & obligationem producerebat & actionem, nec poterat Prætor Edicto suo Jus populi Romani Civile abrogare, aut nullam dicere obligationem, quæ Jure isto rata habebatur. Quæ cum ita sint: poterat etiam ex ejusmodi contraetu, & obligatione, quamvis dolus malus intervenisset, secundum jus civile actio peti. Quando vero eam dabant Prætor actori, tamen semper vi hujus Edicti de dolo malo ita jus dicebat, ut simul reo, actoris dolum malum accusanti, doli mali exceptionem permitteret 1), qua id consequebatur reus, ut si justa causa esse videbatur, mediante ea in integrum restitueretur. Petitur itaque hæc restitutio Exceptione doli mali, sed petitur tamen & Actione; qualia autem sint hæc duo remedia, id paullo plenius jam exponentum esse videtur. Est autem Actio de dolo malo Actio Præatoria, personalis & arbitraria, competens dolo malo in contractu stricti juris deceptis atque nulla alia actione tutis, eorumque hæredibus adversus decipientem, ejusque hæredes, si quid ad eos pervenit, ad rem dolo malo amissam cum omni causa restituendam & nisi restituatur, in id, quanti rem esse, actor raverit. Datur itaque hæc actio deceptis & læsis dolo malo in contractu stricti juris, neque tamen passim deceptis ea indulgenda est: nam si modica summa est, id est, usque ad duos aureos, non debet dari 2). Præterea etiam quibusdam personis, etiamsi læsio adsit magna, plane non datur, ut puta liberis, vel libertis adversus parentes patronosue, & ea quidem ex causa, quia famosa est, sed nec humili adversus eum, qui dignitate excellit, debet dari, puta plebejo adversus consularem receptæ auctoritatis, vel luxurioso atque prodigo, aut alias vili adversus hominem vitæ emendatoris. Ita Vlpianus 3). Quid ergo est? In horum persona dicendum est, in Factum verbis temperandam actionem dandum, ut bona fidei mentio fiat, ne ex dolo suo lucentur. Né que

1) l. 36. D. de Verbor. obligat.

3) l. 11. D. de Dol. mal.

2) l. 9. §. ult. l. 10. l. 11. D. de Dol. mal.

que porro hoc loco ista prætermittenda est Prætoris limitatio, qua ait: *Si de his rebus alia actio non erit.* Nam ita dēmum dolo deceptis hanc actionem pollicetur, *si alia non sit*, cuius rei hanc addit Vlpianus 4) rationem, quoniam famosa actio, qualis est actio de dolo malo, non temere debet a Prætore decerni, si sit civilis vel honoraria, qua possit experiri, usque adeo, ut etiam, si interdictum sit, quo quis experiri, vel exceptio, qua se tueri possit, cessest actio de dolo. Ceterum tamen hoc silleri non debet, hæc huc usque dicta ita, uti dixi, se habere, nisi forsitan dubitetur, an alia actio adsit, nec ne? 5) aut si alia quidem adsit actio, sed æque famosa, ac illa de dolo 6), aut actio ista, quæ præterea adest, inanis sit 7), & tempus, intra quod instituenda, dolo malo adversarii effluxerit 8), quibus in casibus etiamsi alia actio sit, tamen illa de dolo malo omnino habet locum. Hoc itaque, uti dixi, modo datur hæc actio alterius dolo malo deceptis & læsis, non vero iis tantum, sed eorum etiam hæredibus 9). Datur autem ea adversus decipientem, & si eorum plures sint, adversus omnes in solidum, sed ita tamen, ut uno solvente reliquilibetentur 10). Nonne vero etiam ea adversus hæredes datur? imo datur, sed de eo duntaxat, quod ad eos pervenit, id est, quatenus ex ea re locupletior ad eos hæreditas venerit, dolore malo eorum factum est, quo minus pervenerit 11). Ad quid autem datur hæc actio? ad id, ut quod dolo malo factum est, judicis arbitrio restituatur, & nisi fiat restitutio, ut decipiens condemnetur in id, quanti ea res ab actore jurejurando in item fuerit estimata 12). Non tamen hoc semper observatur. Nam si manifestum est, rem non posse restitui, vel quia perii, ut si servus defunctus sit, vel si servus libertatem manumissione aut judicis sententia acceperit; non jam potest res restitui, nec opus judicis arbitrio, quo jubeatur res restitui, sed protinus debet reus condemnari in id, quod interest 13). Sic in

E eo,

- 4) l. 1. §. 4. D. h. t.
- 5) l. 7. §. 3. D. Eod.
- 6) l. 9. §. 2. D. Eod.
- 7) l. 5. & 6. D. Eod.
- 8) l. 1. §. 6. D. Eod.
- 9) l. 13. D. Eod.

10) l. 17. pr. D. Eod.

11) l. 17. §. 1. l. 26. l. 27. l. 28. D. de  
Dolo malo.

12) l. 18. pr. D. h. t.

13) d. l. 18. §. 1. 4. D. eod.

eo, qui egit dolo malo, in hæredes autem, prout diximus, ea-  
tenus tantum datur, quatenus ad eos pervenit, aut dolo malo eo-  
rum factum est, quo minus perveniret, neque causæ cognitio in  
eorum persona necessaria est 14). Tantum de Actione dolii, se-  
quitur Exceptio, tanquam alterum petendæ restitutionis in inte-  
grum remedium. Qualis ea sit, ex actione dolii & iis, quæ ab  
initio hujus §phi diximus, haud difficultate potest intelligi, &  
quæ circa actionem erant observanda, ea ferme eodem modo et-  
iam quoad exceptionem dolii specialem locum habent. Itaque re-  
quiritur, ne reverentia personarum obstet, contra has enim ex-  
cipiendum in factum 15), personæ porro, quibus opponitur, de-  
bent esse dolii mali capaces, quam ob causam haud ita facile pu-  
pillis objicitur, facilius minoribus 16), præterea necesse est, ut  
ipse actor, cui opponitur, dolum commiserit; cum enim ex de-  
licto nascatur, alteri opponi aut nocere non debet 17); tandem  
etiam ipse dolus, quo nititur omnis exceptio, legitime proban-  
dus est 18). Illud quoque observandum, dolii mali actionem cer-  
to quidem tempore finiri, atque semper intra annum utilē, quē  
tamen tamen Constantinus 19) in biennium continuum convertit,  
esse instituendam, ast hoc non item ad Exceptionem dolii est ex-  
tendendum, ac si ea eodem tempore circumscrribatur, nam hæc  
perpetuo competit. Ratio diversitatis eadem est, quam supra,  
cum de exceptione metus agerem, dedi, scilicet actor quidem in  
sua potestate habet, quando suo jure utatur, is autem, cum quo  
agitur, non habet potestatem, quando conveniatur 20).

### §. XVI.

*Vsus bodiernus harum restitutionum qualis quantusque  
sit ex sententia Jctorum celebriorum.*

**R**estat, ut doceatur, quis eorum, quæ hæc tenus a nobis dispu-  
tata sunt, usus sit nostris temporibus. In quo cum partim  
quid

14) l. 26. l. 27. l. 30. D. Eod.

15) l. 4. §. 16. D. de Dol. Mal. & Metus

Except.

16) d. l. 4. §. 26. D. h.t.

17) l. 2. §. 1. & 2. l. 4. §. 27. 31. D. Eod.

18) l. 1. §. 2. D. Eod.

19) l. ult. C. de Dol. mal.

20) l. 5. §. 6. D. de Dol. Mal. & Met. Except.

quid Pragmaticorum, rerumque judicatarum sive consuetudinis  
 forensis auctoritas ferat, partim vero id spectandum sit, quid ra-  
 tio & genuina ista principia, a prudentioribus jam dudum pro-  
 bata, secundum quæ omnis Juris Romani usus hodiernus dijudi-  
 cands est, sva deant jubeantque: primo quidem de pragmatico-  
 rum sententia & consuetudine forensi videamus. Primus autem,  
 quem veluti in scenam producere placet, sit Samuel Stryckius,  
 Vir summus quoque tempore totius Germaniae præceptor. Hic,  
 quando usum hodiernum doctrinæ juris Romani de Restitutione  
 in integrum ob vim metumque explicat, ait 1): *An usu fori obli-  
 gatio per metum contracta sit ipso jure nulla, an restitutione Præ-  
 toris dissolvenda, disquiri poterat. Si ex moralibus res repetenda,  
 recte defenditur, nullam plane hic subesse obligationem* - - - Verum  
*postquam legibus Romanis vivere cæptum, & de ejus observantia  
 tantum solliciti sumus, non immerito mirari subit, quare nemo ex  
 Belgii Galliæque & Cis, tanta facilitate alioqui non usum juris Ro-  
 mani adfuentibus præsentis tituli observantiam in dubium voca-  
 verit.* - - - Regulariter metu gesta valent, & sunt firma li-  
 gantque mero jure, licet, si de metu conset, debeant rescindi. Ut  
 adeo de tituli hujus observantia dubitandum non videatur. Ita bea-  
 tus Stryckius de usu hodierno restitutionis ob vim metumque, ita,  
 quos allegavit, Gailius, Menochiusque, ita denique, qui se ut  
 plurimum horum exemplo auctoritateque tueri solent, Pragma-  
 ticorum plerique omnes. Quid autem censem Stryckius nosfer de  
 restitutione ob dolum? *Vsu fori*, inquit 2), *non ignota dolii actio,*  
*& hinc Tituli præsentis observantia in dubium vix vocanda.* Ad-  
 dit: *si actor libellum formet, se a reo deceptum vel dolose circum-  
 ventum, - - & judex ob hanc causam in actis probatam reum  
 condemnaret, nescio, quo prætextu infamie maculam effugere pos-  
 sit, quod Groenewegius, contra quem h. l. disputat, negaverat.* Tandem actionem hanc etiam hodie, in Saxonia quoque biennio  
 præscribi, contendit, idque ex Carpzovio probat 3). Idem do-  
 cet

## E 2

- 1) In *Vsu Moderno Pandectar.* Tom. I. 2) loc. cit. Tom. I. Libr. IV. Tit. III. §. 2.  
 Libr. IV. Tit. II. §. 2. pag. 389. 3. pag. 398. 399.  
 390. 3) *Constit. Saxon. P. II. Cons. 3. Def. 4. n. 5.*



cet Lüderus Menkenius 4): *Actioni de dolo*, inquiens, *præscribitur biennio continuo, etiam hodie*, atque his verbis, *etiam hodie*, satis indicat, habere omnino restitutionem ob dolum nostris etiam temporibus usum in praxi. His addere possemus Joannem Henricum de Berger 5), Joannem Brunnemannum 6), alias que plures, qui quoad restitutions in integrum tam ex capite vis & metus, quam dolii, earumque usum prædictum iisdem his principiis insistunt, sed cum vel unius Stryckii auctoritas sufficere videatur, nolumus hoc loco plura coacervare JCtorum testimonia. Videamus potius, quid hac in re consuetudo forensis rerumque judicatarum auctoritas ferat. Et quamvis ea haud raro longe lateque recedere soleat a doctrinis JCtorum etiam pragmaticorum, in compendiis suis aut systematibus propositis; quoad hanc tamen doctrinam de restitutione in integrum ex capite metus & dolii ejusmodi dissensum non comprehendimus. E contrario, quando istos evolvimus JCtos, qui Consilia & Responsa Collegiorum Juridicorum colegerunt & ediderunt, intelligimus, hanc juris Romani doctrinam in foris nostris quotidie fere frequentari, atque ita frequentari, ac si Jus Romanum quoad eam sine omni restrictione sit receptum, moribusque Germanorum exesse respondeat. Ut enim taceam ea, quæ ex Carpzovii voluminibus hac ex parte in usus meos transferre possem: ad unius Joannis Henrici de Berger 7) & Justi Henningii Bæchmeri 8), tanquam recentiorum JCtorum Consilia & Responsa provoco, e quibus id omnino cognoscimus, restitutions in integrum tam ob metum, quam ob dolum in praxi & foro & petitas esse & datas. Quin imo Johannes Henricus de Berger restitutionem ob metum non modo usu fori frequentari ait, verum eam etiam adhuc hodie ob contumaciam in quadruplum dari & docet, & exemplo, raro quidem, sed

4) In Synopsi Theor. & Prax. Pandect. Libr. IV. Tit. 3. §. 5.

dect. ad Titulos de restitutione in integr. ob metum & dolum.

5) In Oeconomia Juris Libr. III. Tit. XV. §. 9. & 10.

7) In Consiliis Juris, Cons. 52. pag. 57. 58. Conf. 788. pag. 765. 766.

6) In Commentariis ad Codicem & Pan-

8) Consil. & Decisionum Tom. II. Part. II. Respons. 912. pag. 237. 238.

sed memorabili comprobat 9). Vix Prætor Urbanus pressius & ad Edicti sui normam adstrictius jus dicere potuit olim apud ipsos Romanos, quam hoc in casu apud Germanos fuisse dictum ex Bergero discimus. Cæterum ex his, quæ hactenus disputavimus, facile est ad intelligendum, tam quid Jcti pragmatici celebriores de usu hodierno doctrinæ Juris Romani de restitutione in integrum ob metum & dolum sentiant, quam etiam quid consuetudo forensis & rerum judicatarum auctoritas hac ex parte ferat? quare de ea re nihil amplius addimus.

### §. XVII.

*Hanc Praxin doctrinæ Juris Romani de Restitutione ob metum & dolum incongruam esse docetur.*

Sed, ut cætera eorum peragamus, quæ instituti ratio postulat, dispiendium omnino, utrum hæc doctrina, hæc antea dicta praxis hodierna senioribus istis principiis, a prudentioribus dum probatis, secundum quæ omnis Juris Romani usus hodiernus unice dijudicandus est, conveniat, nec ne? Quæ qualiaque sint ista principia, illud quidem non opus est, hoc loco dici pluribus, cum in vulgus nota sint, nec valde recondita. Ne tamen de iis nihil dixisse videamur, hoc tantum addimus: hac in re momentum maximum in eo esse positum: Jus Romanum in Germania tantum in subsidium est receptum, atque præterea, etiamsi deficiant jura domestica, tunc demum habet locum, si rerumpublicarum nostrarum facies atque conditio, quam scimus, ab illa reipublicæ Romanæ forma in plurimis capitibus esse diversissimam, illius applicationem permittrat. Hoc autem veluti lumine disputationi nostræ accenso eo facilius nunc ad interiora penetrare atque ostendere nos posse arbitramur, utrum doctrina Juris Romani de Restitutione in integrum ob metum & dolum ejusmodi sit, ut rerumpublicarum nostrarum facies atque conditio hoc jure subsidiario indigeat, ejusque applicationem permittat. Scilicet, nititur hæc duplex restitutio in integrum species celebri ista contractuum divisione in eos, qui stricti juris sunt, & qui sunt bonæ fidei, quæ quoad hanc doctrinam in Jure Romano utramque quasi constituit paginam, prout in

9) Vid. Ej. Oeconomiam Juris Lib. III. Tit. XV. §. 11. not. 3. pag. m. 889.

prima hujus opusculi parte docuimus. Quodsi itaque ista antea dicta Juris Romani doctrina in praxi hodie uitum habere debet, necesse est, ut ista contractuum divisio in stricti juris & bona fidei moribus Germanorum reique publicae patriae faciei & conditioni conveniat. Sed praecclare iam monuit, qui Juris Romani erat peritissimus ejusque, si quis alias, venerator maximus Gerardus Noodt <sup>1)</sup>: *Naturalis ratio, qua una Jus Gentium censetur, non facit contractus alios bonae fidei, alios stricti juris.* *Contra putat, omnes bona fidei esse.* Idcirco in omnibus bonam desiderat fidem - - - usque adeo, ut contractum, in quo non hanc reperiatur, sed dolum malum, nullius momenti esse existimet. Quid autem haec ad nos? omnino maxime. Namque Germani, qui jam inde ab antiquissimis temporibus simplicitatem veritatemque in negotiis civilibus colunt & amant, ut olim, ita & hodie omne id moribus suis quam maxime contrarium esse existimant, quod ab ista simplicitate fideque Germana recedit. Recedit autem ab ea vel maxime ista Juris Romani divisione in contractus bona fidei & stricti juris, quare Germani nunquam eam receperunt in praxi <sup>2)</sup>, quidquid etiam alii ob nimirum Juris Romani venerationem pro defensione istius divisionis alias adducere solent. E contrario vero Germani, cum ista naturalis ratio, qua sola jus Gentium censetur, omnes universim contractus bona fidei esse putet, atque in omnibus bonam fidem desideret; susque deque habita ista juris Romani subtilitate, unice his Juris Gentium, æquitatisque naturalis principiis insistunt, atque omnes in genere contractus bona fidei esse existimant. Quæcum ita sint, facile intelligitur, doctrinam Juris Romani de Restitutione in integrum obmetum & dolum hodie nullius esse posse usus in praxi & vita civili. Nam ex ipsis Juris Romani principiis, ii tantum in integrum restituuntur, qui in contractu stricti juris per vim & metum aut per dolum alterius malum decepti & laesi sunt, e contrario autem, quando contractus, in quo deprehenditur vis & metus, aut dolus malus, bona fidei est contractus, tunc ipsum adeo Jus Romanum eum ipso jure nullum esse ait, quia nihil consensui, qui bona fidei judicia sustinet, tam

<sup>1)</sup> De Forma Emendandi Doli mali, c. IV.

<sup>2)</sup> Vid. Georg. Beyeri Delineatio jur. civi-

lis secund. Institution. Libr. IV. Tit. VI.

§. 168 — 188. pag. m. 252. 253. (e)

confrarium est, quam vis & metus & dolus malus 3). Vedit hoc, sed pro parte tantum, olim jamjam, qui de Jurisprudentia patria & hodierna præclare meritus est, Georgius Beyerus, quando ait 4): *Actione de dolo spectat hodie ad subtilitates juris, nam tunc demum dabatur, si nullum aliud juris remedium supereisset, id quod contingebat in actionibus stricti juris, in quibus iudex formulæ inherere tenebatur, & ergo his agi non poterat ad dissolutionem contractus. In contractibus bonæ fidei vero supererat querela nullitatis, vel actio ex contractu, prout dolus causam contractui dederat, vel in eundem inciderat.* Cum itaque hodie etiam in stricti juris judiciis ex æquo & bono judicetur, eadem, quæ in bonæ fidei judiciis, adhiberi poterunt actiones, & actio dolis subfidiaria proinde cessabit. Cæterum tamen Beyerus noster ita tantum quoad eam sentit restitutionem in integrum, quæ sit ob dolum malum, non item quoad eam, quæ sit ob vim detrimentumque. Cum vero in utraque restitutionis specie eadem deprehendatur ratio, quoad usum earum hodiernum vix ulla inter utramque adesse potest differentia. Quia in re consentientem habemus Christianum Thomasi, qui, *Ostendi, inquit* 5), in Disputatione de usu actionum pœnalium, actionem quod metus, quatenus arbitria est, & in quadruplum datur, moribus Germaniae non esse in usu. Jam ostendendum est, ea Jure Germanorum non esse opus, quatenus datur in simplum. Jure Romano ideo opus erat, quia secundum hypotheseis Stoicorum alienatio vel datio metu facta tanquam actio spontanea ipso jure subsistebat, exceptione similiter opus erat in contractibus ob eandem rationem. Jam cum ex principiis moralibus sanioribus consuet, quod alienatio & promissio metu inita sint ipso jure nulla, quid opis restitutione Praetoria? His in verbis errat quidem Thomasius, dum existimat, alienationem dationemque in genere, quæ vi & metu facta erat, tanquam actionem spontaneam ipso jure valuisse apud Romanos. Nam hoc de strictitatum juris negotiis verum est; errat etiam ideo, quod istum rigorem Juris Romani ex Stoica philosophia deducit, qui alias omnino habet origines atque cognitio-

3) L. 116. D. de reg. jur.

4) In Delineat. Jur. Civil. secund. Pandect. Libr. IV. Tit. III. pag. 149. 150.

5) In Notis ad Pandectas Libr. IV. Tit. II. p. 84.

cognitus erat apud Romanos diu, antequam philosophia Stoica e Græcia Romam translata est. Cætera vero a Thomasio dicta recte se habent, utique secundum ea principia, quorum primas veluti lineas hoc in spho duximus.

### §. XVIII.

*Indicantur remedia alia, quibus uti potest ille, qui hodie in quovis contractu dolo aut metu circumscriptus est.*

Jus itaque Germanicum non facit alios contractus bona fidei, alios stricti juris, sed universim in omnibus bonam fidem desiderat, usque adeo, ut quemcunque contractum, in quo non hanc, sed vim & metum, aut dolum reperiat malum, nullius momenti esse existimet. Cessat proinde restitutionis in integrum ob metum & dolum usus hodiernus, & ideo cessat in jure nostro patro, quia, quod ipso jure nullum est, rescindi non potest. Atque his disputatis finem poteramus Dissertationi nostræ imponere, in primis cum ea jam modum nobis propositum excederit. Quoniam tamen, qui metu doloque malo in contractu, hodie quocunque, læsi & decepti sunt, non indigere diximus restitutione in integrum ob metum & dolum, ne omni jam auxilio se prorsus destitutos esse existimet, age, sed vel per indicem tantum, indicabimus remedia alia, eaque pingviora, quam istæ restitutiones in integrum Prætoriæ, quibus uti possunt in omnes, qui vel dolo malo circumscripti, vel vi metuque læsi sunt. Is itaque, cui quid per vim & metum extortum est, uti potest interdicto unde vi & quod vi aut clam 1), item ex Edicto Divi Marci 2) agere potest. Habet præterea etiam tam qui per vim, quam qui per dolum alterius læsus est, rei vindicationem, & Publicianam actionem, & nullitatis querelam 3), quin ex ipso etiam contractu potest agi, & ita quidem, ut purgetur dolus vel vis salvo contractu, v. gr. ut præstetur, quanti minoris aut pluris emisset, aut vendidisset, si non intervenisset vis & dolus malus. Nam, quamvis hodie nullus

1) Vid. Gerard. Noodt Comment. ad Pan-  
dectas, Libr. IV. Tit. II. in fine.

2) l. 13. D. quod Met. caus. gest. er.

3) Vid. Christian. Thomasius & Georg.  
Beyerus locis citatis.

lus sit quicunque contractus ob vim & dolum malum; hoc tamen magis in honorem decepti, quam deceptoris, atque deceptus suo potest uti beneficio, si velit, si nolit, necessitas non est 4). Deinde & si conveniatur is, qui dolo malo metuēt laesus est a laeden- te, nihil tamen secius tutus est: habet enim exceptionem dolis generalem, utpote quæ locum habet, quotiescumque æquitas actori obstat 5), & quæ veluti genus est, sub quo omnes reliquæ exceptions comprehenduntur. Hæc autem remedia, quæ ha- Ætenuit veluti per indicem indicavimus, plerumque pingviora sunt longe, ac istæ restitutions Prætoriæ tam ratione probationis, quam etiam ratione præscriptionis. Sed quoniam ulterior hujus rei expositio non proprie nostram causam attingit, & nos etiam angustiæ spatii temporisque prohibent, omnem eam rem omit- tendam & ex nostra disputatione circumscribendam existimavi- mus. Id unum Lectores nostros rogatos cupimus, ut in nostra disputatione judicanda ætatis nostræ rationem habeant, nec nisi specimen diligentia haætenuit in ediscendo jure adhibitæ, requi- rant.

4) Vid. *Gerard. Noodt de Forma Emend.* 5) I. 12. D. de Dol. mal. & Met. Ex-  
Dol. mal. cap. 9. cept.

ORNATISSIMO DOCTISSIMO QVE  
DISSERTATIONIS AVCTORI  
JOACHIMO GVILIELMO WEICKHMANN

S. P. D.

PRAESES.

Cum semper Te, *Ornatissime WEICKHMANNE*, inter optimos meos mihiique carissimos retulerim auditores, sum- mam profecto, maximamque animo meo percipio voluptatem, quod Te his ipsis diebus festis, quibus memoriam conditae ante ducentos annos hujus nostræ scholæ Academicae grata piaque mente celebramus, in cathedram producere possum publicam. Vt enim inclutae *Tuæ Reipublicæ Patriæ diligentiam Tuam stu-*

F

dium-



diumque jurisprudentiae egregium, insimul vero ipsi etiam eruditio orbi publico specimine probares; quam ingenuis artibus juvenes in nostro hoc Athenaeo enutriri solent; eruditam conscripsisti Dissertationem, inque ea defendenda Praefidem me comitemque esse voluisti. Hoc praeclarum eruditionis *Tuae* specimen, ex animo gratulor non tantum *Tibi*, sed etiam OPTIMO TVO PARENTI, Fautori & Amico meo integerrimo, insimulque vellementer opro, vt *Tuus*, quem jam meditaris, ex Athenaeo discessus faustus *Tibi* eueniat fortunatusque. *Tu* modo eam, qua ire coepisti, honoris viam perge, *Tibique* persuade, nunquam debita *Tuae* virtuti doctrinaeque proemia esse defitura. Cumque de mei in *Te* amoris constantia & sinceritate *Tibi* satis constet, scio *Tibi* esse persuasum, neminem esse aut fore, qui ex *Tua* felicitate me majorem laetitiam voluptatemque sit percepturus. Ita vale WEICKHMANNE carissime, meque *Tui* amantissimum, semper ama. Scribeb. Gedani die xx. Jun. A. R. S. clo. Io cclviii.

**C**ur ego laudando *Tibi* sim, WEICKHMANNE, molestus?

Te sat opus laudat, svavis Amice, *Tuum*.

Jubila quæ canimus, *Tua* quæ doctrina decorat,

Me castis precibus concelebrare decet.

Applicet assidas modo summum Numen ad illas

Aures; huncque diem secula multa novent.

Nostræ Pierides sua jubila sœpe recantent,

Et Gedani maneant moenia cura Dei.

Europæ terras pax accelerata revisat,

Nostra D E O grates solvere ut ora queant.

J. M. Wulff, Ged.

Opp.

VIRO

\* \* \*

VIRO JVVENI  
NOBILISSIMO AC POLITISSIMO  
DISSERTATIONIS HVJVS AVCTORI  
DOCTISSIMO  
AMICO SVO PERCHARO

S. P. D.

Carolus Renner, Ged.

Opp.

Profectus Tuos in Jurisprudentia profecto singulares & sat magno si laudare vellem, inutilem prorsus fumerem operam, cum ex parte nullum plane fugiunt, ex parte specimen hoc pereruditum eo magis adhuc eosdem dilucidabit. Verba enim in hisce paginis de materia Juris facis, quæ solidam Juris antiquioris æque ac recentioris cognitionem requirit, cogirata Tua de eadem ordine ac stilo eleganti profers & sic hoc opus sensu strictissimo Tuum nominari meretur. Tempus, quo hanc doctrinam pertractas, magis aptum eligi vix potuisset, nam hi dies Athenæo nostro notatu dignissimi ac ob Jubilæum sub auspiciis divinis & ex indulgentia Patrum Conscriptorum celebrandum sacri sunt. Voluisti, ut dubia mea contra hanc dissertationem publice darem. Ego quidem vires meas ad provinciam recte gerendam invalidas fane agnoscō, ast, ne in officiis Amico præstantis admodum difficilis videar, munus adversarii oblatum suscipio & vitoriam Tuam reportandam augebo. Iter Tuum, quod jam meditaris, omnia conamina Tua semper quam felicissime succedent, si vota mea expleantur. Amicitiam, qua Tibi sum conjunctissimus, nil unquam turbabit, cum ea ratione ac similitudine morum nitatur. Vale. Dabam die XXVI. Maii. A. O. R. MDCCLVIII.

**S**ic studii specimen nunc promere gestis *Amice*,  
 Atque *Tuas* laudes accumulare cupis,  
 Siccine nunc Cathedram, summo concendere plausu,  
 Edereque indicium nobilis artis aves?

Nequaquam dubito, Te laudem consequi eandem,  
 Quam quovis solidam tempore nactus eras.  
 Gratulor ipse *Tibi*, ac ex toto pectore lætor,  
 Nunc meritis laudes creſcere rite novis.

Virtutis socium quoque me dignaris habere:  
 Contradicentis munere fungar ego,  
 Hæc documenta *Tui* reputans reverenter amoris,  
 Persolvo grates, *Candide Amice, Tibi*.

Majores habeo grates *Tibi*, menteque solvo,  
 Quas queo jam tenues ore referre meo.

Omnipotens Numen, celsi moderator Olympi  
 Sit studii rector, principiumque *Tui*.

Fortunet doctos, quos suscipis usque labores,  
 Atque *Tuis* coēptis semper adesse velit:

Conservet Patruos, Fautores atque Parentem:  
 Sicque *Tui* curam providus ipse gerat.

Dabim die III. Mens. Junii  
 A. R. S. clo Io ec L VIII.

Hæcce pauca Doctissimo Domino Defensori  
 Amico suo longe integerrimo in memo-  
 riā sui apponere voluit, debuit

**Joannes Gvilielmus Güntherus, Ged.**  
**Opponens.**








**ULB Halle**  
002 713 802



3

*G6,*





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

7. DISSERTATIO SECVLARIS JVRIDICA,  
DE  
INCONGRVA PRAXI DOCTRINAЕ JV-  
RIS ROMANI DE RESTITVTIONE  
IN INTEGRVM EX CAPITE  
METVS ET DOLI.

P R A E S I D E  
M A R T I N O G O T T L I E B P A V L I

JVR. VTR. D. JVR. ET HISTOR. PROE. PVEI. ORD.

ET ATHEN. INSPECT.

DIE XX. JVN. A. R. S. CLC LI CC LVIII.

IN AUDITORIO MAXIMO

1

DISPVTANDVM PROPOSITA

4

AVCTORE

JOACHIMO GUILIELMO WEICKHMANN

DANTISCO - BORVSS

IMMORTALIEN CONSERVANT  
GEDANI. TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBER, MAGNIF. SENATVS  
ET GYMNASII TYPOGRAPHI.

